



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

Anno Octavo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilis divinæ bonitatis divitiis eveci, ea, quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, stabilendæ inter Religiosos viros a saculi turbis segregatos, & Altissimi obsequiis sub laudabili strictioris observantiæ instituto addictos tranquillitatis studio provide, atque sapienter constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata serventur, Apostolici præsidii nostri patrocinio, cum id a nobis petitur, liberent corroboramus, illisque ne temerario cujusquam ausu violentur, novas sanctiones adjungimus, sicut conspicimus in Domino rationi esse contentaneum.

§. 1. Alias siquidem pro parte tunc existentium Prioris majoris Domus Carthusiæ Gratianopolitan. Diocesis, & Diffinitorum Capituli Generalis Ordinis Carthusien. fel. rec. Julio Papa II. prædecessori nostro exposito, quod licet omnes Domus dicti Ordinis citra, & ultra montes, ac ubilibet existentes, illarumque Religiosi sub una obedientia, videlicet Prioris, & Diffinitorum prædictorum existerent, & quos una Religio, ac Professionis vinculum alligaverat, nulla æmulatio, nulla præsidendi ambitio, aut quavis alia causa ab invicem separare debuisset, sed charitatis vinculum in unitate pacis, eos conservare, nihilominus humani generis inimico procurante, & instigante, contingere poterat quod aliqui Religiosi Ordinis prædicti aliis obedientiis subjici tentasset, & ab eorum vero Superiore, & Capite discedere, unde non solum illorum, sed etiam aliorum Religiosorum ejusdem Ordinis animarum periculum evenisset, ipsaque Religio in dies scissuram passa fuisset, ac successu temporis, quæ inter cæteras asperioris, seu strictioris observantiæ existerat, paulatim ad laxiorem vivendi modum declinasset. Idem Julius prædecessor supplicationibus eorumdem Prioris, & Diffinitorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, quod omnes, & singulæ personæ dicti Ordinis tunc, & pro tempore existentes cujuscumque status, & conditionis, vel præminentie essent, vel fuissent, quæ per se, vel per alium seu alios directæ, vel indirecte, publice, vel occulte procurassent aliquam divisionem in Ordine prædicto, seu exemptionem aliquam Domorum ipsius Ordinis, ac illius Religiosorum a communi obedientia Prioris, & Capituli generalis prædictorum eo ipso omnibus obedientiis, & officiis in eodem Ordine perpetuo privatæ, & ad similia obedientias, & officia perpetuo inhabiles existerent, ac omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, gratiis, & Indultis dicto Ordini & illius personis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, & concedendis sine spe rehabilitationis ad illa, perpetuo careret, literaque Apostolicæ desuper impetrandæ gratiam, seu justitiam concernentes, nullius essent penitus roboris, vel momenti, auctoritate Apostolica perpetuo statuit, & ordinavit, & alias prout in ipsius Julii prædecessoris literis desuper sub Plumbo anno Incarnationis Dominicæ 1508. decimo sexto Kalendas Julii Pontificatus sui anno Quinto expeditis uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Maria de Rochefort Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, ipse quo Ordo prædictus, in ea, quæ de præsentibus gaudet, & hætenus, benedicente Domino gavisus fuit unitate, & integritate in perpetuum conservetur, ac quodcumque in eo scissurarum periculum in posterum avertatur, supradictas Julii

præde-

morati Caroli Regis nomine Congregationi præfata supplicasset, quatenus ad ejusmodi inconvenientia tollenda Ordinariis prædictis præcipere, ut quoad loca a Curia Episcopali ultra duas diætas distantia Parochialium Ecclesiarum Rectores, five aliis personis sibi beneficiis facultatem recipiendi probationes super statu libero matrimonia contrahere volentium concederent, ita ut probationibus hujusmodi sic factis ad matrimonii celebrationem deveniri valeret, Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet - Feria quarta die nona Aprilis 1698. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam coram Emis, & Rm̄is Dñis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis - Lecto retroscripto Memoriali, Eminentiissimi, & Rm̄i DD. Cardinales Generales Inquisitores prædicti annuerunt prædictæ instantiæ, & mandarunt, quod per DD. Episcopos deputentur ad hunc effectum, vel Vicarii Foranei, vel alii eis beneficii - Joseph Bartholus Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Notarius - Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora sint, & serventur exactius illa, quæ Apostolici muniminis præsidio roborantur, Nobis propterea prædicti Caroli Regis nomine supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 1. Nos igitur piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decretum præsertim auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Concilii editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die III. Martii MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Confirmatur Constitutio Julii II. pro unitate servanda in Ordine Carthusien. cum adjectione penæ excommunicationis in contravenientes.

Priori Carthusien. factum fuit præceptum non egrediendi Constit. 1692. Nov. 4. P. 2. Et Clem. XI. Const. ed. 1712. Maji 2. P. 12. interdictus fuit ejus carniem.

Decretum prædictum.

Preces Regis Catholicici.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

C.

prædecessoris literas per Nos confirmari, & innovari, eosque præterea, qui illis contravenerint graviorum pœnarum metu coerceri plurimum desideret: Nos Religiosæ personarum Ordinis supradicti, quem in visceribus gerimus charitatis, quieti, & tranquillitati peramplius consulere, ac ipsius Joannis Mariæ Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non memoratarum Julii prædecessoris literarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto habentes, supplicationibus ejusdem Joannis Mariæ Procuratoris Generalis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati prædictas Julii prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac innovamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus. Ac omnibus, & singulis supradicti Ordinis Religiosis tam subditis quam Superioribus quocumque gradu, dignitate, officio, vel præminentia præditis nunc, & pro tempore existentibus ne literis prædictis directe, vel indirecte sub quovis quæsito colore, prætextu, vel ingenio contravenire audeant quomodolibet, seu præsumant, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua absolutionem nemo præter Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus concedere valeat, harum serie districtè prohibemus, & interdicimus.

Confirmatio
Constitutionis
Julii, &
adjectio pœ-
næ excommuni-
cationis.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno- rante contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus & singulis illis, quæ in prædictis Julii prædecessoris literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus habeatur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII. Julii MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CL

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Reg. de interventu Generalis, Provincialium, & Rectorum cum Discretis in Capitulis Provincialibus Congreg. Doctrinæ Christianæ in Gallia.

Const. ed. 1697. Mar. 23. P. 6. agitur de abrogatione Discretorum. Et Clem. XI. Const. ed. 1708. Jun. 25. P. 8. de voce Diffinitoris adjuncti.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilecti filii Josephi Bellissen Procuratoris Generalis Congregationis doctrinæ Christianæ in Gallia Congregationi Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet alias in quadam causa Parisien. concordatis dubiis. Primo, An Capitulum Provinciale Parisiense esset validum. Secundo An determinatio vocalium facta in Constitutionibus pro Capitulo Provinciali esset approbanda, ipsi Congregationi Cardinalium respondere placuisset: Ad primum sustineri: Ad secundum negative excepto Generali actuali, nihilominus illa verba—Excepto Generali actuali nisi clare referrentur ad eos, qui debebant interesse Capitulo Provinciali, & ad eos, qui ab eodem Capitulo debebant, excludi, secum ferebant aliquam dubietatem, an scilicet determinatio vocalium facta in Constitutionibus pro Capitulo Provinciali hujusmodi eligenda esset approbanda tantum in Persona Generalis actualis, non vero in aliis vocalibus, qui erant in eadem determinatione Constitutionum, nempe in Provinciali, Rectoribus, & Discretis, cum tamen mens ejusdem Congregationis Cardinalium fuisset tamen excludere ab hac determinatione Commissarium, Exgenerales omnes, & Exprovinciales immediatum: Ideoque pro parte dicti Josephi Procuratoris Generalis eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut ad effectum condendi legem claram, ac dandi quietem supradictæ Congregationi Doctrinæ Christianæ explicite determinare dignaretur, quod in posterum in Capitulo Provinciali interessent tantum, & quidem per se Generalis actualis, Provincialis, ac Rectores omnes cum suo quisque Discreto a Capitulo Conventuali, ubi sex vocales resedissent, eligendo quandoquidem hi omnes exclusis Commissario, Exgeneralibus, & Exprovincialibus remanebant in determinatione facta in Constitutionibus, & id erat, quod ab omnibus petebatur ad pacem conciliandam, & ut lex remaneret clara, & inconcussa, ita tamen, ut in reliquis Constitutiones prædictæ Congregationis doctrinæ Christianæ minime approbatæ intelligerentur: emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit, ac declaravit, quod in Capitulis Provincialibus interesse poterunt Generalis actualis, Provincialis, & Rectores omnes cum suo quisque Discreto a Capitulo Conventuali, ubi sex vocales residebunt, eligendo Romæ 6. Septembris 1697. G. Cardinalis Carpinus loco ✱ Sigilli. A Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem sicut prædictus Josephus Prior Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communiri summopere desideret. Nos ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat confe-

Dat. 9. Aug.
1698. An. 8.

Capit. de De-
creti.

Decretum d.
Congrega-
tionis.

Preces Pro-
curatoris
Gen.

quendum

Confirmatio
relati Decre-
ti.

quendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præsertim auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis doctrinæ Christianæ etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscator, die IX. Augusti MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

ventionem, seu Concordiam (reservato tamen desuper nostro, & Apostolicæ Sedis beneplacito) inter se devenerunt, per quam videlicet in primis quinam Provincia hujusmodi Conventus intra Narbonæ, & quinam intra Burgundiæ limites contineantur, ac deinde circa alternativam inter Fratres Narbonenses, & Burgundos præfatos quoad officia ipsius Provinciae perpetuo servandam sub diversis Capitulis, & conditionibus conventum fuit, prout continetur in scriptura desuper emanata tenoris, qui sequitur videlicet:

§. 2. Infra scripti Religiosi Provinciae Narbonæ, & Burgundiæ Ordinis S. Augustini, Patres scilicet Vincentius Ladet Sacræ facultatis Parisien. Doctor Theologus, & ejusdem Provinciae Provincialis, Andreas Bepel pariter Doctor Parisien., & Conventus Lugdunen. Prior, Jacobus Massabuon Baccalaureus in Theologia, & dictæ Provinciae Diffinitor, ex una parte, Procuracionem habentes a Superioribus Partis Narbonæ; Et Patres Hyacinthus Ducaissiere Doctor Theologus, & primus Diffinitor, Emmanuel le Bon Doctor Parisiensis, & pariter Diffinitor, Nicolaus de Montal Doctor Theologus, & primus Visitator, ex alia pariter parte, Procuracionem habentes a Superioribus partis Burgundiæ per admodum R. P. Carolum de Brichard Commissarium Generalem congregati juxta ordinem ipsi datum ab Illmo Archiepiscopo Lugdunen. super futuri Capituli celebratione die 23. Mensis Augusti anni 1697. coram Domino Archiepiscopo in suo Palatio Archiepiscopali de sequentibus Articulis convenerunt. Primo, quod intra limites Partis Narbonen. contineantur, & includantur Conventus Monspefulanus, Biteren., Narbonen., Montaniacen., Nemausen., Perpiniacensis, Voltenis, Sancti Ginnesii, Morologienis, Sancti Romani a Terno cum titulis Priorum Podifferratenis, & Tononenis, & quod intra limites Partis Burgundiæ contineantur, & includantur Conventus Lugdunen., Cremiacen., Scillienis, Sancti Petri Albiniacensis, Turrigenis, Sancti Amoris, Molvelliensis, Morestellienis, Bellipariensis, Gannatenis, Eneziacensis, Monsrevelensis, Pignerolensis, cum titulo Prioris Conventus Genevensis. Hoc ita disposito ad stabiliendam pacem, & concordiam in supradicta illorum Provincia, & finem tandem imponendum jurgis a quatuor circiter annis ibi durantibus, utrique Partium de alternativa in perpetuum servanda in ipsorum electionibus convenerunt eo modo, quo sequitur: Primo, quod Provincialis alternis vicibus eligatur in Capitulo uniuscujusque dictarum partium, & casu quo officium suum, vel morte præventus, vel aliquo alio impedimento, absolvere non possit, Rmus P. Generalis deputabit Rectorem Provinciale ejusdem Partis usque ad futurum Capitulum Provinciale. Secundo, quod pars illa, quæ Provinciale non habebit, Vicarium Provinciale habebit suæ nationis in ea commorantem, qui a Capitulo eligetur. Tertio, quod Provincialis in proximo Capitulo eligetur ex parte Burgundiæ. Quarto, quod Vicarius Provincialis inquiret de culpis in Conventibus partis suæ commissis, quibus provisionaliter providebit, & post factas, & observatas juris formalitates, vel Processus transmittet ad Provinciale, qui una cum Patribus sui Diffinitorii judicabit secundum formam Constitutionum, habita ratione criminum, vel expectabit Visitacionem Provincialis. Dicitur vero Vicarius Provincialis Jus non habebit visitandi suæ Nationis Conventus, nisi expressam habeat commissionem a Patre Provinciali, ut autem dicitur ille Vicarius Provincialis possit esse de corpore Diffinitorii, absque eo, quod augeatur

Concordia
inita an. 1697.

De divisione
Cœnobio-
rum.

CII.

Confirmatur Concordia circa divisionem Cœnobiorum, & alternativam Officiorum inter FF. Provincia Narbonæ, & Burgundiæ Ord. Erem. S. Augustini.

Inn. XI. Const. ed. 1678. Jan. 26. P. 2. agitur de alternativa in Provincia Quiten. Et Clem. XI. Const. ed. 1704. Apr. 19. P. 4. de alternativa in Provincia Portugallia.

Dat. 19. Aug.
1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Redemptionis, & Domini nostri Jesu Christi, qui veritas est, & Deus pacis, vices licet immeriti, gerentes in Terris, ea, quæ inter Christianifideles quoscumque, ac præsertim Divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatos, quos potissimum in fraternæ charitatis quiete vota sua Altissimo reddere decet, amabilis concordie studio provide, prudenterque conventa esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri præsidio, cum a nobis petitur, libenter constabilimus.

Cause d.
Concordiæ.

§. 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provinciae Narbonæ, & Burgundiæ Ordinis Eremitarum S. Augustini, quod cum dicta Provincia sub nomine Religiosorum Narbonensium, & Burgundorum in contraria studia scinderetur; Ipsi exponentes, quo controversiis inter eos inde exortis, quæ a quatuor circiter annis Provinciae prædictæ quietem perturbabant, finis imponeretur, paxque, & tranquillitas eidem Provinciae restitueretur, ac restituta stabiliretur, cura, & opera Venerabilis Fratris Moderni Archiepiscopi Lugdunen. ad con-

De alternati-
va Officiorum,
& quibusdam
aliis.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.

numerus novem Patrum Diffinitorii, eligetur ad hoc officium unus de duobus Diffinitoribus illius partis, ad quem pertinebit habere Vicarium Provinciale. Quinto, quod Diffinitorium erit semipartitum, duo scilicet Diffinitores cum uno Visitatore ex parte Burgundiae. Sexto, quod Praesidens Capituli imposterum postulabitur a Rmo P. Generali per Provinciale pro tempore existentem, & sit alternatim. Septimo, quod dictus Provincialis Decreta generalia pro tota Provincia condere non poterit, nisi de participatione totius Diffinitorii, & Vicarii Provincialis. Octavo, Superiores Locales, sicut, & alii Officiales subalterni non eligentur pro Conventibus Burgundiae, nisi qui sunt ex illa parte, sicut pro Conventibus Narbonae, qui sunt pariter ex illa parte. Nono, quod omnes Religiosi remanebunt in Conventibus suae Nationis, nec poterunt cogi remanere in Conventibus alterius Nationis, nisi quando id postulerint, vel invenierint benevolos receptores, & habuerint consensum Patris Provincialis. Decimo, quod Religiosi extranei extragremium Provinciae nati censentur esse de Conventibus, quorum sunt professi, sicut, & illi, qui nati in Civitatibus Provinciae censentur esse ex illa parte, in qua nati sunt, & in quantum opus est, illos Provincia per praesens concordatum, tanquam filios admittit. Undecimo, quod Diffinitor pro Capitulo Generali deputandus, erit eligendus ex illa parte de qua non erit Provincialis, Discretus et contra erit ex parte Provincialis. Duodecimo, quod in unaquaque parte designabitur Conventus pro Novitiatu, in quo non admittentur ad habitum Novitii, nisi secundum exigentiam Conventuum uniuscujusque partis. Decimotercio, quod qui fuit semel electus in Provinciale, nunquam poterit iterum eligi, nisi fuerit virtutis, & meriti omni exceptione majoris, & a tota Provincia, nullo contradicente, postularus. Decimoquarto, quod Capitulum Provinciale celebrabitur alternatim in praedictis duabus Partibus. Decimoquinto, quod tam duo loca affiliatorum, quae modo vacant in majori Conventu Parisiensi, quam quae imposterum vacabunt, alternis vicibus replebuntur per utramque partem supradictam. Decimosexto, conventio facta fuit sub beneplacito Illustriss. Archiepiscopi pro bono pacis, & ad eradicandam omnem dissidiorum materiam, quae oriri possent ex expensis factis, lites motae cessabunt, & tanquam non factae habebuntur, absque eo quod quisquam de illis expensis possit esse requisitus, ea tamen lege, quod praesens compromissum bona fide executioni mandabitur, & Romae confirmabitur, alioquin unusquisque remanebit in jure suo insequendi, prout sibi videbitur expedire. Decimoseptimo, quod Partes supranominatae, & coram Illustrissimo Archiepiscopo congregatae, reciproce promiserunt, & promittunt acceptare, sicut, & de facto acceptant praesentem alternativam contractum secundum omnes suos Articulos, adstringentes se illum pro rato habendum esse in proximo Capitulo ab omnibus uniuscujusque Partis vocalibus, qui ad nullam electionem procedere valebunt in dicto Capitulo, quin prius ratum habuerint praesens concordatum, quod nec rejicere, nec recusare poterunt, nisi optione divisionis ex parte Narbonae. Decimooctavum, denique postquam utriusque Burgundi scilicet, & Narbonenses, supradictos alternativae Articulos admiserunt, & gratiis Illustriss. Archiepiscopo Lugdunensi prae habitis pro suo efficaci mediatoris officio, illum enixe rogant a Reverendiss. P. Generali per literas invitatum, omnibus illius Provinciae procellis finem imponere, ut praesentis concordati corem illo, ejusque

consilio, auctoritate, & prudentia transacti dignetur procurare nedum confirmationem Reverendiss. P. Generalis Ordinis, verum etiam & Decretum Emorum Sacrae Congregationis Cardinalium, imo & Breve Apostolicum, actum, & conclusum in Palatio Archiepiscopali Lugdunidae, & anno quibus supra.

§. 3. Quare Exponentes praedicti nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune provideri, & ut infra indulgeri de benignitate Apostolica dignemur.

§. 4. Nos igitur specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus, Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, conventionem, seu concordiam inter eosdem Exponentes initam, ut praefertur; confirmatamque desuper Scripturam praesentem cum omnibus, & singulis in ea contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus; illique inviolabilis & Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 5. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciae, & Ordinis praedictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque,

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIX. Aug. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Confirmantur duo Decreta Ministri Generalis circa Hospitium in Cenobio de Ara Coeli de Urbe pro FF. Provinciarum Ind. Occidental. Ord. Min. S. Francisci de Observ.

Inn. XI. Const. ed. 1678. Maji 25. P. 2. agitur de habitatione Commissarii Gen. Terrae Sanctae in Civitate Neapol. Et Clem. XI. Const. ed. 1712. Sept. 23. P. 12. de Hospitio S. Petri de Alcantara de Portici Fratr. Discalc. Hispania in Diocesi Neapolitana.

Præces Provinciae.

Confirmatio relatæ Concordiæ.

Classula.

CIII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus de Leon Frater expresse professor Provinciae Sanctorum duodecim Apostolorum in Regno Peruviae Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum alias ipse, (qui, ut asserit Lector Jubilatus, ac Officii Inquisitionis dicti Regni Qualificator, necnon Causae Canonizationis B. Francisci Solani, dum vixit ejusdem Ordinis professoris in Romana Curia Procurator, & Secretarius Generalis dicti Ordinis existit) ex elemosynis Provinciarum Indiarum Occidentalium ipsius Ordinis Hospitium quoddam in Conventu Sanctae Mariae de Ara-Caeli nuncupat. de Urbe Ordinis hujusmodi pro Religiosis dictarum Provinciarum private ad alios construere intenderet, eaque de causa Ven. Fratri Bonaventurae Poerio Archiepiscopo Salernitan., qui tunc Ministri Generalis ejusdem Ordinis munereungebatur, supplicem libellum super praemissis porrexisset, tenoris, qui sequitur, videlicet: Reverendissime Pater, Exponitur humiliter Reverendiss. Patern. Vestrae pro parte Fratris Nicolai de Leon Lectoris Jubilati Sacrae Inquisitionis Qualificatoris Excustodis, & Prioris Provinciae XII. Apostolorum del Perù in hac Romana Curia Causae Canonizationis B. Francisci Solani Procuratoris & actualis Secretarii Generalis Ordinis devoti P. V. Rmæ Oratoris, qualiter ruinam minante, & ex hac causa ab Architecto recognita, & vere ruinosae, & collabente reperta Cella, quae a quinquaginta annis, & ultra inservierat, & usque modo inservit pro habitatione Procuratoris pro tempore suprascriptae Causae B. Francisci Solani, quod totum Reverendiss. Paternitati Vestrae patet: ad praevendam hujusmodi habitationis imminentem ruinam, Orator habito super hoc nedom praefatae suae Provinciae, sed & aliarum Occidentalium Indiarum, ac insuper bo. mem. P. Juliani Camillas Praedecessoris, & Rmæ P. Antonii de Cardona actualis Indiarum Commissarii Generalis maturo consilio, & assensu, ac voluntate, habitationem ipsam demoliri decrevit, aliamque a fundamentis in amplioem, & commodiorem formam ex elemosynis earumdem Provinciarum ad hujusmodi effectum collectis redigere, & erigere pendit. Verum quia Provinciae praefatae elemosynas hujusmodi nullatenus profundere intendunt, nisi etiam, confirmatio, & approbatio Vestrae Paternitat. Reverendiss., ac insuper quod novum aedificium, ejusque Cellae perpetuis futuris temporibus stare, & inservire debeant pro habitatione dumtaxat Rmæ P. Commissarii Generalis Indiarum pro tempore, earumdem Provinciarum Religiosorum, si & quatenus quacumque de causa, sive quomodocumque Romam accedere, & permanere contingat, ac insuper, quod aedificium ipsum sic erectum, ejusque Cellae perpetuis futuris temporibus sub cura, & dispositione Rmæ Patris Commissarii Generalis Indiarum pro tempore existens, manere debeant, & in eo (casu, quo Romae non adessent Religiosi praedictarum Provinciarum qui primo, & principaliter in ipso domicilio habere debent, private ad alios) nullus omnino cujusvis gradus, dignitatis, & conditionis sive cujuscumque Nationis, Familiae, seu Provinciae sit, inibi recipi possit, nisi ad effectum hujusmodi ab eodem Reverendiss. P. Commissario Generali Indiarum licentiam, seu facultatem in scriptis exhibendam obtinuerit, hoc itaque totum humillime supplicat Orator per Paternitatem Vestram Reverendiss. confirmari, ap-

probari, & respective mandari, atque inhiberi; Ac insuper pro majori horum notitia, observantia, & executione, petit idem Orator a V. P. Reverendissima quatenus dignetur permittere, & mandare, ut eidem habitationi, sive Hospitio lapis superimponatur cum sequenti inscriptione, si ita in Domino sibi beneficium fuerit, Quod &c.-- INSCRIPTIO. Ne habitationis inopia Religiosi ex Indiis Occidentalibus Romam accedentes hinc inde vagari cogentur, Admodum R. P. F. Nicolaus de Leon Lector Jubilatus Sanctiss. Inquisitionis Regni Peruviani Qualificator Provinciae XII. Apostolorum de Lima Excustos, & Prior, necnon Canonizationis B. Francisci Solani in Curia Procurator, & Secretarius Generalis Ordinis, remota parvula, & poenae collabente Cella, quae vix Procuratori Causae ejusdem B. Francisci Solani satis erat, ex elemosynis Provinciarum praedictarum ad hunc effectum collectis, habitationem hanc, & Hospitium a fundamentis de assensu Superiorum Generalium extruxit an. Dom. 1697.

§. 1. Idem Bonaventura Archiepiscopus tunc Minister Generalis super supplici Libello hujusmodi Decretum edidit tenoris sequentis, videlicet: Fr. Bonaventurae Poeris Sac. Theologiae Lector Jubilatus, ac totius Ordinis N. P. S. Francisci Minister Generalis, & Servus, necnon auctoritate Sanctiss. D. N. Innocentii Papae XII. Commissarius Apostolicus &c. Oratoris precibus, ut pote fraternae, religiosaeque charitati conformibus, ut Hospitium pro Religiosis Provinciarum Indiarum Occidentalium dumtaxat, & in eodem loco, ubi usque modo habitavit, & adhuc de praesenti habitat Procurator Causae Canonizationis nostri B. Francisci Solani (diruta prius, ac demolita antiqua Cella inibi existente) Hospitium in meliorem, atque amplioem formam a novis fundamentis construendum, erigi possit vigore praesentis Nostri Decreti facultatem, & assensum nostrum benigne indulgemus, & concedimus, atque adeo id exequi injungimus, & mandamus. Quandoquidem vero pro hujusmodi aedificio suprascriptae Provinciae Indiarum Occidentalium independente ab aliis, elemosynas necessarias subministraverint; Ideo primo, & principaliter earum Religiosis Romam quacumque de causa accedentibus Hospitalitati inservire debent, quod firmiter observari praecipimus: Pro tempore autem, quo earumdem Provinciarum Fratres Romae non reperirentur, pariter mandamus, ut in eodem Hospitio nullus quavis de causa, aut motivo, cujusvis Nationis, Familiae, vel Provinciae, sive cujuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existat omnino ad cohabitandum recipiatur, nisi a P. Reverendiss. Commissario Generali Indiarum (cujus Hospitii curam, & dispositionem committimus) facultatem, & licentiam in scriptis exhibendam, ad hunc effectum obtinuerit: *sub penis Proprietariorum*, vocisque activae, & passivae ipso facto incurrendis, aliisque gravioribus ad arbitrium P. Superioris Generalis, tam aliter, quam ut praefertur permittentibus, quae respective sustinere praetendentibus: Itaque semper ex nunc, & in futurum, ut aequum est, pro Fratribus earumdem Provinciarum, quae elemosynas subministraverunt primo, & principaliter, private ad alios Hospitium ipsum stare, & inservire debeat. Praeterea ad majorem hujus determinationis nostrae observantiam, & subsistentiam, libenter concedimus, Lapidem cum superscripta, sive alia clariori, idem tamen referente, Inscriptione, eidem Hospitio superimponi. *Permittentes Oratori*, si & quatenus opus fuerit ad majorem validitatem, & efficaciam, ut praedictorum omnium, & singulorum a Sancta Sede Apostolica Bullam confirmationis

Supplex libellus Secretarii Gen. pro construendo Hospitio, quod primo inservire debet FF. Indiarum Occident., deinde aliis cum facultate Commissarii Gen.

Decretum d. Ministri Gen. quo annuit cum adjunctione poenarum in contravenientes.

procurare, & obtinere valeat. Quibuscumque non obstantibus &c. Datum Romæ hac die 25. Februarii 1697. - F. Bonaventura Poerius Magister Generalis, & Commissarius Apostolicus - Loco ✠ Sigilli. De mandato suæ Paternitat. Reverendiss. Fr. J. Mariæ de S. Cruce Secr. Generalis Ordinis.

§. 2. Subinde vero cum idem Nicolaus dilecto filio Matthæo a Sancto Stephano moderno Ministro Generali Ordinis prædicti exposuisset, se Hospitium prædictum jam construxisse, ac proinde toto Decreti supradicti tenore inserto eidem supplicasset, ut illud confirmare dignaretur: Emanavit ab eodem Matthæo Ministro Generali aliud Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Fr. Matthæus a Sancto Stephano Sac. Theologiæ Lector Jubilatus, ac totius Ordinis S.P.N. Francisci Minister Generalis &c. Attentis Oratoris precibus in hoc retrospecto libello ad nos directo contentis, eidem omnino annuendum esse censemus. Hinc est, quod insistentium vestigiis Reverendiss. P. Bonaventuræ Poerii, nostri in officio prædecessoris supra insertum Decretum, ab illo summa maturitate, ponderositate, & prudentia factum, tenore præsentium approbamus, ratihabemus, & confirmamus, præcipientes in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœnis in eodem contentis, omnibus nobis subordinatis Prælati, & Subditis, ne illud quovis modo infringant, vel infringi permittant, sed inviolabiliter observent, & taliter faciant observari. Datum Romæ ex Araceli die 21. Septembris 1697. - Fr. Matthæus a S. Stephano Minister Generalis - Loco ✠ Sigilli. De Mandato suæ Reverendiss. Paternitat. - Fr. Jo. Maria de S. Cruce Secretarius Generalis Ordinis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio sub-jungebat, prædictus Nicolaus Decreta hujusmodi quo firmiter subsistant, & severentur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desideret: Nos ipsum Nicolaum specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinserta cum omnibus, & singulis in eis contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 4. Decernentes easdem præsentem Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, Provinciarum, & Conventus prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet con-

cessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscar. die XXIII. Aug. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Confirmatur restitutio quatuor Assistentium Generalium Ordinis B. M. Virginis de Monte Carmelo.

Inn. XI. Const. ed. 1682. Jun. 12. P. 6. prohibita fuit electio Sociorum pro Congregatione Mantuana. Et Clem. XI. Const. ed. 1711. Nov. 10. P. 11. reducuntur Graduati pro Provinciis Italia.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias postquam quatuor Assistentes Generales Ordinis Fratrum Beatæ M. Virginis de Monte Carmelo non ita pridem in vim cujusdam Decreti a fel. rec. Alexandro Papa VII. Prædecessore nostro editi in eodem Ordine introducti; auctoritate Apostolica primum quidem ob certas tunc expressas causas ad tempus suspensi, ac subinde in perpetuum aboliti, ac suppressi fuerant: Nos ex commisso Nobis divinitus Pastoralis sollicitudinis munere ad ea, quæ felici prosperoque Ordinis prædicti regimini, & gubernio magis conducibilia esse poterant, jugiter intendentes, audita hac in re Sententia Capituli Generalis Ordinis hujusmodi novissime in hac Alma Urbe celebrati, ipsos Assistentes Generales juxta formam in prædicto Alexandri Prædecessoris Decreto præscriptam in perpetuum restitui, adeoque ad eorum electionem in eodem Capitulo Generali deveniri demandavimus, & alias, prout in Decreto jussu Nostro desuper emanato uberius continetur.

§. 1. Cum autem sicut dilectus filius Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, in executionem mandati Nostri hujusmodi perpetua dictorum Assistentium Generalium restitutio, eorumque canonica in Capitulo Generali prædicto electio secuta fuerint; Hinc est quod Nos firmiori præmissorum robori, & efficaciam providere, dictumque Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, ac tam primordiatim, quam secundo dicti Decretorum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, supplicationibus ejusdem Procuratoris Generalis nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, perpetuam prædictorum quatuor Assistentium Generalium restitutionem, eorumque electionem, in memorato Capitulo Generali jussu nostro factas, ut præfertur, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui

CIV.

Dat. 30. Aug. 1698. An. 8.

Ab Alex. VII. institui fuer. Assistentes, & ab hoc Pontifice restituti.

Preces Procuratoris Gen. post Assistentium electionem.

Confirmatio restitutionis, & electionis Assistentium.

Decretum alterum Ministri Gen. quod confirmatum fuit post constructum Hospitium.

Preces præd. Secretarii Gen.

Confirmatio restorum Decretorum.

Clausula.

Clausula.

desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. XXX. Aug. MDCXCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CV.

Confirmatur Decretum Congr. Episc. & Reg. pro executione alterius Decreti, & Constitutionis Clem. X. circa alternativam Officiorum in Provincia Cantabriæ Ord. S. Francisci de Observ.

Const. ed. 1696. Jan. 7. P. 5. Et Const. ed. 1698. Off. 6. P. 8. agitur de alternativa in Provincia Januensi Reform.

Dat. 5. Sept. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alternativa præd. confirmata fuit a Congr. an. 1671. & a Clem. X.

Nuper pro parte dilecti filii Joseph delas Barzenas Fratris expresse professi Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet in Provincia Cantabriæ dicti Ordinis, quæ quatuor Nationibus, nempe Montana, Alaba, Guipuzcoa, & Bizcaya constat, introducta esset alternativa Officiorum, itaut Minister Provincialis pro uno triennio eligeretur ex una dictarum Nationum, Custos ex altera, sicque alternatim inter easdem quatuor Nationes, quarum qualibet suum Diffinitorem habere, cum suis Guardianis, Lectoribus, Prædicatoribus, Vicariis, Confessariis Monialium, Magistris Novitorum, omnibusque aliis solitis Officiis dicti Ordinis, quæ æqualiter pro qualibet dictarum Nationum in eadem Provincia distribuerentur, ac alias, nempe die 11. Septembris 1671. memorata Congregatio Cardinalium alternativam hujusmodi, quæ (ut asserbatur) per tempus quinquaginta annorum, & ultra in dicta Provincia de Superiorum Generalium consensu pacifice inter prædictas quatuor Nationes servari consueverat, itidem in singulis ejusdem Provinciæ Capitulis de cætero celebrandis per suum Decretum desuper emanatum religiose servari mandavisset, & præcepisset, ac sub-

inde fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor Noster Decretum hujusmodi per suas desuper in simili forma Brevis expeditas Literas confirmasset, nihilominus cum inter spectantes ad dictam Nationem de Bizcaya quædam reperirentur valles de Somorostro, Musques, Sopuerta, & aliæ Encartaciones de Bizcaya vulgariter nuncupatæ ab immemorabili tempore exemptionibus, & Immunitatibus (quas Fueros vocant) ipsius Nationis de Bizcaya gaudentes, ejusque gubernio subiectæ, ac ad illius Congregationes, dispositiones, & ordinationes convenientes non secus ac cætera ejusdem Nationis Loca, aliqui, tametsi dictæ Valles ad prædictam Nationem Montanam, sive quoad participationem Privilegiorum, sive quoad gubernium, aut alias directæ, vel indirectæ, nullatenus unquam spectasset, nec ullus Religiosus ex Vallis hujusmodi ad prædictam Provinciæ Provincialatum pro dicta Natione Montana a tempore quo prænarata alternativa in eam, ut præfertur, introducta fuerat, etiam antequam dictum Decretum, prædictæque Clementis Prædecessoris Literæ illius Confirmativæ emanassent unquam assumptus fuisset, in proximo futuro ejusdem Provinciæ Capitulo Provinciali, in quo juxta alternativam hujusmodi Minister Provincialis ex præfata Natione Montana eligi debebat, illum ex Montana Valle de Somorostro, aut ex alia de Vallibus ad prædictam Nationem de Bizcaya spectantibus eligere intendebant; Et in eadem expositione subjuncto, quod id, si fieri contingeret, non aliud foret, quam dictam Alternativam invertere, sicque Jus alterius Nationis usurpare, ac lites in gravissimum pacis in dicta Provincia vigentis præjudicium excitare, atque hoc ipsum in contemptum prædictorum Decreti, & Literarum cessurum esset, ac propterea pro parte dicti Josephi eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut quo inconvenientibus hujusmodi mature occurrere posset, præcipere dignaretur, sub pœna nullitatis electionis eo ipso incurrenda, ne in proximo futuro Capitulo Provinciali prædicto, seu alias quodcumque ullus Religiosus ex parentibus in dictis Vallibus permanens Domicilium, seu habitationem habentibus natus, & in illorum Ecclesiis baptizatus ad Provincialatum, seu alias prædictæ Provinciæ Officia ad prædictam Nationem Montanam juxta Decretum, & Literas hujusmodi spectantia, sed solum ad ea, quæ sunt dictæ Nationis de Bizcaya, quippe ad quam Valles prædictæ juxta authentica documenta dictæ Congregationi Cardinalium exhibita pertinere dignoscuntur, eligi, seu assumi valeret; Emanavit a prædicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet-- Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Commissario Generali Curiae censuit, ac decrevit, servandum Breve sa. me. Clementis X. sub nullitate electionis, aliisque pœnis arbitrio ejusdem Sacra Congregationis infligendis, & Religiosos de Vallibus descriptis non comprehendendos sub alia Natione, quam sua de Bizcaya, Romæ 11. Aprilis 1698.-- G. Cardinalis Carpineus-- I. D. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem sicut prædictus Josephus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & fervetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsum Josephum specialibus favoribus, & gratis proficere volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit,

Lis mota a Religiosis quorundam Vallium, & causa Decreti Congr.

Decretum præd. quo etiam declaratur, ad quam rationem pertinere Religiosi dd. Vallium.

Preces d. Josephi delas Barzenas.

Confirmatio
relati Decre-
ti.

Clausula.

ad effectum presentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Decretum presentium auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus, salva tamen semper in presentibus auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in presentibus per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provincia, & Ordinis hujusmodi etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium presentium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad presentium effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die V. Septem. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

gregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, audita relatione Nuncii Apostolici apud Serenissimum Lusitaniae Regem residentis, referente Eminentissimo Colloredo, censuit, & declaravit, servandam esse omnino Constitutionem Septiman sa. me. Clementis X., quae incipit -- *Superna &c.* non obstante Bulla Cruciatæ, quæ in hac materia nihil novi Juris induxit, neque quoad Penitentes, neque quoad Confessarios; prout presentis Decreti vigore servari mandat, ac præcipit. Romæ XI. Aprilis 1698 -- G. Cardinalis Carpineus -- I. D. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem sicut pro parte Archiepiscopi, & Episcopi prædictorum Nobis subinde expositum fuit, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmitus subsistat, Apostolica Confirmationis Nostre patrocinio communiri plurimum desiderent. Nos ipsos Archiepiscopum, & Episcopum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis; censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatas existunt, ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum presentium auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robor adjicimus: salva tamen semper in presentibus auctoritate memorata Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem presentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque in presentibus per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VI. Septembris MDCXCVIII. Pontific. Nostri Anno Octavo.

Preces Ordinariorum.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

CVI.

Confirmatur Decretum Congreg. Epif. & Reg. in causa Lusitana pro executione Constitut. Clem. X. pro Ordinariis contra Confessarios Regulares ab aliis approbatos.

Laudata Const. ed. fuit 1670. Jun. 21. P. 1. Hujus Pontificis Const. ed. 1696. Oct. 5. P. 6. concessa fuit Vicariis Apost. contra Regulares in Anglia jurisdictione quadam. Et Clem. XI. Const. ed. 1705. Jan. 30. P. 5. conceditur Ordinariis Insularum Philippinarum jus quoddam in Regulares.

Dat. 6. Sept. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Litis orta inter Duos Ordinarios, & Regulares in Lusitania.

Decretum præd. pro executione Const. Clem. X. est viget Bulla Cruciatæ.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita in Causa Lusitana Jurisdictionis inter Venerabiles Fratres modernos Archiepiscopum Bracharen., & Episcopum Lieren. ex una, necnon dilectos filios Regulares Regni Portugalliae ex altera partibus vertente, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. In Causa Lusitana Jurisdictionis vertente inter Archiepiscopum Bracharen., & Episcopum Lieren. ex una, necnon Regulares ejusdem Regni partibus ex altera, instantibus dictis Archiepiscopo, & Episcopo declarari -- An Episcopi possint in sua Diocesi prohibere Regularibus ad Confessiones audiendas approbatis ab Antecessoribus Episcopis, vel ab Episcopis alienae Diocesis, ne amplius Confessarii munus exercent sine ipsorum nova approbatione, & licentia, non obstante Bulla Cruciatæ, & contra Regulares transgressores procedere valeant ad suspensionem, Censuras, & alias Canonicas penas -- Sacra Con-

Avocatur Causa cum extinctione litis, & impositione silentii super executione alternativæ in Provincia Januen. Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observ. Reformat.

Ab Inn. XI. Const. ed. 1687. Jun. 12. confirmata fuit d. Alternativa. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1696. Jan. 7. P. 5. ab Inn. vero XIII. Const. ed. 1721. Jun. 16. P. 1. confirmatur alternativa in Provincia Sancti Antonii in Lusitania Fratrum Discalceat.

CVII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 7. Oct. 1698. An. 8.

Sacrofancti Apostolatus officium superni dispositionis consilii Nobis, nullo licet meritum nostrorum suffragio, impositum salubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter fatigantes, exorta inter Religiosos viros, quos vota sua Altissimo in sanctitate, & justitia, pa-

Exordium.

ceque fraterna reddere decet, animorum dissidia, opportunis rationibus dirimere, illisque nerursus quandocumque excitari valeant, ansmature præcidere studemus, sicut prudenti deliberatione prævia ad Omnipotentis Dei gloriam & animarum salutem arbitramur in Domino expedire.

Non semel ante hunc Pontificem confirmata fuit alternativa.

§. 1. Alias siquidem Nos ad supplicationem tum existentis Ministri Provincialis Provinciae Januensis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum, quasdam felic. rec. Innocentii Papæ XI. prædecessoris nostri in simili forma Brevis literas pro religiosa quiete Fratrum dictæ Provinciae die 12. Junii 1687. emanatas, per quas quoddam Decretum a Venerabili Fratre nostro Alderano Episcopo Ostien. S. R. E. Cardinale Cybo nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectore editum, quo Alternativam circa electionem ad Provincialatum, cæteraque Diffinitorii Provinciae hujusmodi officia inter tres partes, seu districtus, quibus Provincia ipsa constat, dudum in Capitulo Provinciali ejusdem Provinciae, ac per quasdam rec. mem. Urbani Papæ VIII. prædecessoris pariter nostri itidem in forma Brevis literas stabilitam, & ordinatam, idem Alderanus Episcopus Cardinalis, & Protector servari, nec quidquam in contrarium innovari, seu attentari sub diversis pœnis præceperat, & mandaverat, confirmabatur, auctoritate Apostolica similiter confirmavimus, & approbavimus, & alias prout in nostris desuper in eadem forma Brevis 7. Januarii 1696. expeditis literis uberius continetur. Subinde vero cum pro parte ejusdem Ministri Provincialis Nobis expositum fuisset, quod dilectus filius Joannes Baptista Gherfi Frater expressè professus dictæ Provinciae, qui alias post expletum, ad quod assumptus fuerat, Provincialatus Provinciae hujusmodi officium, antequam dictæ Innocentii prædecessoris literæ emanassent, moderationem prædictarum Urbani prædecessoris literarum ab eodem Innocentio prædecessore obtinere, ac memoratam Alternativam in ipso limine foundationis dictæ Provinciae, sicut præmittitur, stabilitam, & ordinatam, ac successive per quadraginta, & amplius annorum spatium pacifice observatam subvertere frustra tentaverat, ac deinde cum aliis forsan ei hac in re adherentibus, post emanatas Innocentii prædecessoris literas supradictas eandem Provinciam acerrima lite in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita super præmissis excitata per quatuor circiter annos continuos, non sine gravi Religiosorum, & sæcularium scandalo vexaverat; demum vero, cum a dicta Congregatione Cardinalium varia Decreta utrique parti Colligantium favorabilia, & contraria respective emanassent, Nosque Causam hujusmodi ad Capitulum Generale Ordinis prædicti, quod tunc in Oppido Civitate nuncupato Victorie Calaguritan. Diocesis celebrabatur seu brevi celebrandum erat, pro informatione remissemus, adeoque causa prædicta nondum penitus terminata, sed dumtaxat suspensa reperiretur, ipse Joannes Baptista tempore, quo informatio hujusmodi capienda erat, omnes Vocales Cismontanæ familiae dicti Ordinis suspectos juridice allegaverat, ac proinde ab hac Alma Urbe, ubi tunc commorabatur, ad Provinciam suam præfatam reverti auctoritate nostra jussus fuerat, etiam contra prædictas nostras literas reclamabat, & ad dictam Urbem redire, prædictamque litem instaurare satagebat, ideoque idem Minister Provincialis, quo quies tandem dictæ Provinciae post tot perturbationes restitueretur, causam prædictam ad Nos avocari, perpetuumque

Ortus, & progressus litis.

desuper silentium imponi summopere desiderabat, Nos die 21. Augusti 1696. dictas nostras literas omnino servari, nec quempiam ullo unquam tempore adversus illas sive in prædicta Congregatione Cardinalium, sive in quovis alio Tribunali, nisi Nobis consultis audiri mandavimus, prout in rescripto a tergo supplicis Libelli Nobis super præmissis porrecti per dilectum filium nostrum Joannem Franciscum S. R. E. Cardinalem Albanum nuncupatum Secretarium Brevium nostrorum secretorum annotato continetur.

Causa hujus Constitutionis & Preces Provinciae.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti etiam filii Fratres Liguriæ Orientalis, & Liguriæ Occidentalis, quæ duas ex supradictis partibus Provinciae hujusmodi constituunt, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi compererint dictum Joannem Baptistam adhuc non acquiescere, sed a dilecto pariter filio moderno Ministro Generali dicti Ordinis postulasse, ut sibi duos Religiosos Januenses pro dicta lite prosequenda ad Urbem prædictam mittendi facultas concedatur. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Avocatio prædicta.

§. 3. Nos igitur specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ac litis, & causæ hujusmodi statum, & merita, nominaque, & cognomina, & qualitates Judicum, & colligantium, & alia quæcumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, eandem litem, & causam in statu, & terminis, in quibus de præsentibus reperiretur, a prædicta Cardinalium Congregatione aliisque quibuscumque Tribunalibus ad Nos auctoritate Apostolica, tenore præsentium avocamus, illasque perpetuo supprimimus, & extinguimus, ac perpetuum desuper ipsi Joanni Baptistæ, & aliis quibusvis silentium imponimus, usque ocludimus.

Clausula.

§. 4. Decernentes eandem præsentibus Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque, in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus litis pendencia, aliisque præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Provinciae, & Ordinis prædictorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Ma-

jorem

jorem sub Annulo Piscatoris die VII. Octobris MDCXCVIII. Pontific. nostri Anno Octavo.

CVIII.

Prohibetur, ne FF. Capuccini transeant ad aliam Religionem contra formam in Constitutione Urb. VIII. præscriptam.

Hæc Constitutio edita fuit 1628. Aug. 9. Similis Constitutio edita fuit a Clem. X. & Inn. XI. quæ postea confirmata fuit ab hoc Pontifice pro Benedictinis Congreg. S. Mauri in Gallia. Et hujus Pontificis Const. ed. 1697. Jun. 12. P. 6. agitur de religiosis transeuntibus.

Dat. 10. Oct.
1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, nullo licet meritum nostrorum suffragio, præsidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub arctioris vitæ instituto laudabiliter incumbendum curam gerentes, religiøsæ eorum stabilitati, ut in ea vocatione, in qua vocati sunt perseverent usque in finem, quantum Nobis ex alto conceditur, prospicere satagamus.

Ab Urb. VIII. sub certis poenis interdictus fuit quicumque transiret sine licentia S. Sedis, vel Generalis.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Urbano Papa VIII. prædecessori nostro pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum exposito, quod nonnulli dicti Ordinis Religiosi nulla desuper ab Apostolica Sede, vel Superioribus suis obtenta licentia, ad alios Ordines, seu Congregationes se transferre posse prætenderant, & prætendebant, non sine gravi regularis disciplinæ detrimento, ipsiusque Ordinis inquietudine, idem Urbanus prædecessor, ut incommodis; damnis, & perturbationibus, quæ ex ejusmodi translationibus oriebantur, occurreret, supplicationibus dicti Procuratoris Generalis nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, ne de cætero perpetuis futuris temporibus ullus ejusdem Ordinis Religiosus ad laxiorem absque speciali dictæ Sedis; ad Carthusien. vero, seu quemcumque alium Ordinem; vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis Ordinis suprascripti licentia in scriptis obtinenda, quovis prætextu, aut ex quavis causa, sub apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota; nec non excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ poenis ipso factò absque ulla declaratione incurrendis transire quoquo modo auderet, seu præsumeret Apostolica auctoritate interdixit, & prohibuit, & alias prout in ipsius Urbani prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 9. Augusti 1628. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causæ Constitutionis, & Preces Procuratoris Gen. pro prohibitione transitus ad Monasterium de la Trappe.

§. 2. Cum autem sicut dilectus filius Franciscus Maria ab Aretio modernus Procurator Generalis dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit; non minora incommoda, damna, & perturbationes memorato Ordini imminerant, quinimo Provinciæ Galliarum ipsius Ordinis ea jam experiri cæperint, ex transitu Fratrum Ordinis hujusmodi ad Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe nuncupat. Ordinis Cisterciens. Sagien. Diocesis, ad quod quidam ex illis, quo spiritu ducti nescitur, prætextu tamen arctioris vitæ ducendæ se transferre satagunt. Nobis propterea dictus Franciscus Maria Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis de opportuno remedio providere, nempe quod Fratres dicti Ordinis Capuccinorum, expresse pro-

fecti ad memoratum Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe Ordinis Cisterciens. animo se se ibidem associandi, seu incorporandi sine expressa solius Ministri Generalis ejusdem Ordinis Capuccinorum licentia in scriptis obtinenda, nullo modo transire possint, etiam si alia servanda fervarentur, sub pœna excommunicationis lata sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ tam pro receptis, quam pro recipientibus prohibere quemadmodum ob easdem ferme rationes rec. mem. Clemens X., & Innocentius XI. Romani Pontifices prædecessores nostri id ipsum Monachis Congregationis Sancti Mauri Ordinis Sancti Benedicti prohibuerunt, de benignitate Apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur ipsum Franciscum Mariam Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis; si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ne Fratres expresse professi dicti Ordinis Capuccinorum ad quemcumque alium Ordinem, & Monasterium, seu alium Regularem locum cujusvis alterius Ordinis, seu Congregationis etiam Carthusianorum; & præsertim ad Monasterium Beatæ Mariæ de la Trappe hujusmodi nisi servata prædictarum Urbani prædecessoris literarum forma, transire ullo modo audeant, seu præsumant, auctoritate Apostolica tenore præsentium prohibemus.

Prohibitio generalis, & specialis pro d. transitu.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Clausulæ.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit, quorumcumque Ordinum, & Congregationum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica; vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die X. Octobris MDCXCVIII. Pontific. nostri Anno Octavo.

CIX.

Confirmatur Decretum Congreg. Epif., & Reg. circa electionem Abbatis Gen. Monachorum S. Hieronymi in Hispania.

De electione Priorum Titularium, & Superiorum agitur Const. ed. 1695. Jan. 19. P. 4. & seq.

Dat. 18. Oct.
1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

In Capitulo Gener. 1692. condita fuere infecta Decreta circa electionem Generalis in & extra Capitulum.

Nuper pro parte dilectorum Filiorum Abbatum, seu Superioris Generalis, & Diffinitorum Ordinis Monachorum S. Hieronymi in Hispania, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium exposito, quod alias in Capitulo Generali d. Ordinis in Monasterio S. Bartholomaei de Lupiana ejusdem Ordinis Toletan. Diocesis Anno 1691. celebrato, pro bono regimine, ac pace, & quiete Ordinis praedicti. In primis multum expedire visum fuerat, ne quis Monachus dicti Monasterii, qui prius Superioris Generalis Ordinis praedicti Officio functus fuisset, denuo ad Officium hujusmodi, nisi per sexennium ad minus ab illo vacavisset, eligi valeret. Secundo, quo d. Officii vacationis casibus, qui pro tempore, quod inter unum, & alterum Capitulum Generale, juxta praedicti Ordinis Statuta, intercedere debet, quoquomodo contingere possent, prospectum foret, multaque inconvenientia evitarentur, statutum fuerat, ut in eventum vacationis hujusmodi pro electione novi Superioris Generalis, Capitulum Generale hoc tempore intermedio non convocaretur, sed solum sexdecim Monachi, ex octo designatis Monasteriis d. Ordinis, Prior nempe, & Procurator cujuslibet eorum, dictum novum Superiorem Generalem, qui vacantis Generalatus Officii tempus, quod usque ad proxime securum Capitulum Generale superesset, completeret, uti Vocales, seu Electores ad id specialiter deputati eligere valerent, jusque eligendi hujusmodi rursus eveniente alia simili vacatione, ad alios sexdecim Monachos Priores pariter, & Procuratores respective aliorum octo Monasteriorum spectaret, itaut quandocumque similis vacatio contingeret, ea alternatio inter Priores, & Procuratores quadraginta octo Monasteriorum, quibus Ordo praedictus constat, per stas vices servaretur. Tertio demum si contingeret, ut memorati Vocales in Electione dissiderent, aut electio minus canonica fieret, decretum extiterat, ut electio hujusmodi ad sex Scrutinia redigi deberet, hac servata forma, videlicet, ut si in primo, secundo, tertio, quarto, & quinto Scrutiniis hujusmodi electio canonica secuta non fuisset, duo, qui plura quam caeteri suffragia sortiti essent, eligerentur, in quos dicti Vocales in sexto Scrutinio sua suffragia dirigere tenerentur; quod si neque in hoc sexto, & ultimo Scrutinio, ob paritatem suffragiorum electio canonica peracta esset, illorum duorum alter, qui prius ad habitum regularem admittus reperiretur, electus intelligi, & declarari deberet; casu vero, quo in quinto Scrutinio suffragia in diversas personas collata essent pluresque paria suffragia obtinuissent, tunc quoque duo, qui prius similiter, quam caeteri ad habitum regularem admitti fuissent, ex illis eligerentur, ut si quis in hoc quinto Scrutinio Superior, alii pares suffragiis existerent, Superiori suffragiis ex iis, qui pares essent, is pariter, qui prius, quam caeteri ad habitum praedictum admittus fuisset, adungeretur, ut deinde in sexto Scrutinio, primo quidem casu in duos ex iis, qui paria suf-

fragia obtinuissent, sicut praemittitur, eligendos; secundo vero in Superiorem suffragiis, illique, ut praefertur, adjungendum, omnino suffragia restringi, & conferri deberent. Porro Decretum, & forma hujusmodi etiam in Capitulis Generalibus, quae a totius Ordinis praedicti Vocalibus celebrarentur, servanda essent, & alias prout ex Libris actorum Capitularium plenius constare dicebatur; & in eadem expositione subjuncto, quod nulla alia meliori, & magis congrua ratione paci, & quieti praedicti Ordinis consuli posse videbatur; ac proinde eidem Congregationi Cardinalium supplicato, ut suam desuper Sententiam interponere, & confirmationis auctoritatem adjungere dignaretur. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, attenta relatione Nuncii Apostolici Hispaniarum, referente Eminentissimo S. Clementis, censuit quoad primum reducendum tempus ad triennium juxta Votum ejusdem Nuncii Apostolici, quod vero ad secundum, & tertium respondit affirmative. Romae 20. Maji 1698. - G. Card. Carpinus - M. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem, sicut Abbas, seu Superior Generalis, & Diffinitores praefati Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti summpere desiderant. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Monasteriorum praedictorum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XVIII. Oct. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Decretum Congregationis super relatis Decretis.

Preces Diffinitorii.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

Con-

CX.

Confirmantur Parentes Ministri Gen. Ord. Sancti Francisci de Observ. circa usum Librorum Divini Officii pro suis Religiosis utriusque sexus.

De hujusmodi libris agitur Const. ed. 1696. Nov. 21. P. 6. Et Const. ed. 1697. Decem. 3. Clem. vero XI. Const. ed. 1704. Feb. 13. P. 4. conceditur Discalceatis Provinciae Beticae facultas celebrandi Missam de B. M. V. singulis anni Sabbatis.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito pastoralis Officii, quo Catholicae Ecclesiae per universonm Orbem diffusa regimini Divina dispositione praesidemus ea, quae a Regularium Ordinum ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum salutem sapienti pietate ab hac Sancta Sede institutorum, magnisque in Ecclesiam Dei meritis fulgentium Superioribus ad servandam in Divinis Officiis uniformitatem prudenter constituta esse noscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabimus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciscus Diaz a Sancto Bonaventura Frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod cum ipse ut injunctum sibi dudum a Venerabili Fratre Bonaventura Poerio Archiepiscopo Salernitan., qui tunc Ministrum Generalem dicti Ordinis agebat, munus expleret, non modo Breviarium, sed etiam alios Libros Officii, nempe, Rituale, Ceremoniale, Martyrologium, Missale, ac Diurnale dicti Ordinis longo labore, sedulaque cura disposuerit, ipsique Libri Typis in Alma Urbe nostra impressi, propediem in lucem praevia debita approbatione, benedicente Domino prodituri sint; dilectus etiam Filius Mattheus a Sancto Stephano Modernus Minister Generalis ejusdem Ordinis omnibus, & singulis utriusque sexus personis ejus obedientiae, seu directioni subjectis, quomodo circa usum eorundem Librorum se gerere debeant, praecipit, & mandavit per suas Parentes Literas desuper emanatas, tenoris, qui sequitur, videlicet: Fr. Mattheus a Sancto Stephano Lector Jubilatus; totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Minister Generalis, & Servus &c. Dilectis Nobis plurimum in Domino omnibus, ac singulis Fratribus, ac Monialibus, aliisque utriusque sexus personis Ordinum, & Congregationum obedientiae, seu directioni Nostrae, ac Successorum Nostrorum, sub aliqua et regulis a Sancta Sede approbatis nunc, & pro tempore subjectis, ac subjiciendis salutem in eo, qui est vera salus. Delegata per Sanctissimum Dominum Nostrum Innocentium PP. XII. praedecessori nostro opportuna facultate, & hoc, ut tamquam Sedis Apostolicae Commissarius, Evangelicae, & Apostolicae Doctrinae Sacror. Canonum, & Generalium Conciliorum, praesertim Tridentini Decretis, & Sanctorum Patrum traditionibus, atque Regularibus nostri Ord. Institutis Apostolica auctoritate confirmatis inherendo, abusus quoscumque tolleret; Regulas, Institutiones, & Ecclesiasticam, Regularemque Disciplinam, ac in primis Divinum cultum; ubicumque excidisset juxta ejusdem Ord. Regulam, & Constitutiones, d. auctoritate confirmatus, modis congruis (prout in Brevis ejus initium, *Ex debito &c.* die 28. Augusti 1695. emanato latius continetur) restitueret, ac reintegraret: ipse praedecessor noster ardentem recogitans se in his, quae Divinum cultum concernunt, mentem Sanctitatis Suae facile excuturum, si de novo ederet in lucem tum Ritua-

le, tum Ceremoniale, tum Martyrologium, tum Missale, & Diurnale, ac Breviarium Romano-Seraphica, quae pro toto Ordine in posterum ubique deservirent R. A. P. F. Franciscum Diaz a S. Bonaventura Ordinis Patrem, ac Sacrae Congregationis Rituum Consultorem, in noticia rerum praedictarum apprime versatum consulto selegit, ad praestandum Deo; & Ordini Nostrum hoc perutile, atque laudabile obsequium. Nosque pro eodem perficiendo, omnem eidem a die assumptionis nostrae ad Ordinis Ministerium duximus exhibere opem, atque assistentiam opportunam. Hinc certiores effecti de solerti cura, qua prius Rituale, deinde Ceremoniale, postea Martyrologium, successive Missale, subinde Diurnale, ac tandem Breviarium praedicta, juxta formam a Sanctissimo Domino Nostrum, ut praefertur sancitam, ad praelum idem disposuit: necnon de approbationibus, quibus tam Sacra Rituum Congregatio, quam idem Sanctissimus Kalendarium, & Rubricas, ad cujus, & quarum praescriptum, caetera cuncta ordinari debebant, & re ipsa ordinata conspiciuntur, benigne comprobantur: Nos ad hoc ut Impressio Breviarii ab eodem Sanctissimo Apostolico munimine, cum Calendario, ac Rubricis praefatis roborari, prius incepta, quam citius perduceretur in finem, prout jam opitulante Domino, cernitur terminata, omnem ex tunc adhibuimus operam, & sollicitudinem. Nunc vero attendentes, quod sub Titulo Rubricarum particularium Breviarii praememorati, cui Apostolicae approbationes praedictae jam pridem accesserunt, sequens adest dispositio, videlicet: *Pro ordinando quotidiano Officio recurrendum est ad Calendarium a numero 5. dispositum, & ad Tabulam Festorum Mobilium: necnon ad supra scriptas Rubricas tam generales Breviarii Romani, quam particulares pro nostro, hic, & in dierum singulorum Officiis, exacte descriptas; omniumque servato praescripto dietim servabitur Regula Seraphica, qua praecipit, ut (Clerici faciant Divinum Officium secundum Ordinem S. R. E. excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria). Quoad Ceremoniale vero, & alia ad recte, & sancte reddendum Domino Sacrificium laudis quoquo modo necessaria, & opportuna, observanda sunt documenta a S. Bonaventura edita, necnon Ordinationes Capitularum Generalium Apostolica auctoritate confirmata, proinde Rituale, Constitutiones, & doctrinae in Firmamento trium Ordinum contentae, ibidem a san. me. Julio II.; & tandem a sel. rec. Clemente X. in Brevis ex commissi Nobis die 28. Augusti 1671. cum aliis recentioribus, approbatae, & sub nonnullis poenis tunc, & nunc, observari mandata. Forma itaque Deo persolvendi Divinas laudes hic praescripta, ab omnibus Fratrum Ordinibus, & Congregationibus, obedientiae Ministri Generalis Fratrum Minorum S. Francisci subjectis, necnon a Monialibus Conceptionistis, Coletaneis, de Annuntiata, & aliorum Institutorum, qua sub eadem obedientia debitum praestant Altissimo obsequium, & famulatum, omnino tenenda est. Propterea ne Fratres, ac Moniales nostri Seraphici caeteris commodo Ritualis, & Ceremonialis, necnon Martyrologii, Diurnalis, ac Missalis praefatorum diu careant, & ab observando praescripto praesertim Rubricae, Apostolica auctoritate, ut praefertur, approbatae, se quoquo modo excusent: tenore praesentium eidem Consultori commissimus, & in Domino commendavimus, ut praedictos Libros Divini Officii, nondum impressos, ad praescriptum vero Kalendarium, Rubricarum, & Breviarii, ut praediximus, dispositos, sine ulla ulteriori mora Romae Typis mandare curaret. Vobis autem omnibus tam subditis, quam Superioribus stricte, ac sub poenis contentis in Brevisibus, *Cum sicut*; die 21. Novembris 1696., & Exponi Nobis die 3. Decembris 1697. a Sanctissimo Do-*

mino

Dat. 10. Nov.
1698. An. 8.

Patentes an.
1698. quibus
praescribitur
sub certis
poenis forma
in usa Libro-
rum Divini
Officii aucto-
ritate Apo-
stolica dispo-
sitorum, &
confirmato-
rum.

Forma p. 1.

mino Nostro, pro approbatione, usu, & impressione Breviarum jam dicti expeditis, precipimus, iungimus, & mandamus, ut postquam Libri huiusmodi Romæ prælo mandati extiterint, æque in ipsorum usu, & aliorum serie similis rejectione, & abolitione, vos geratis, ac teneamini juxta præfatorum Brevium præscriptum, soli Breviario memorato ubique, & in omnibus vos ipsos conformare: sic enim, & non aliter executioni mandata censebitur commissio prædecessori Nostro à Sanctissimo benigne facta, atque impartita. Nec ulli unquam fas sit sine reatu culpæ in re adeo gravi omnino vitandæ quidquam in sæpeditis Libris, Sancta Sede inconsulta, addere, vel minuere, aut quoquo modo, etiam in praxi, alternationibus depravare. Data in Sacro Nostro Aracalitano Conventu die 4. Augusti 1698., & 490. a prima Nostri Ordinis approbatione Apostolica. Fr. Matthæus a S. Stephano Minister Generalis. De mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis Fr. Sebastianus a Benevento Secretarius Generalis Ordinis.

Preces Francisci Diaz.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subijungebat, prædictus Franciscus præmissa quo firmius subsistant, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summopere desideret. Nos specialem ipsi Francisco gratiam facere volentes, eumque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum hærum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac audita super præmissis Venerabilis Fratris Prosperi Archiepiscopi Myren. Fidei Promotoris relatione, præceptum, & mandatum a memorato Matthæo Ministro Generali facta, ut præfertur, expeditaque desuper ejusdem Matthæi Ministri Generalis Patentes Literas præinfertas, cum omnibus, & singulis in eis contentis auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplementum.

Confirmatio relocatorum Decretorum.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præfatas, & præinfertas Patentes Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos, & quas spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, Congregationum, & Constitutionum quarumcumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam

in libris hujusmodi impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem profus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ; utque eadem præfatas Literas in principio, vel fine dictorum Librorum, etiam quodcumque de novo imprimendorum, Typis imprimi debeant.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatorum die X. Novemb. MDCXCVIII. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Confirmatur Constitutio Clem. VIII. contra occupantes, vel perturbantes bona Congregationis de Alcobatia Ord. Cisterciens. in Regno Portugallia.

CXI.

Landata Constit. ed. fuit 1596. Jun. 20. P. 5. ex qua constat idem Privilegium concessum fuisse Congregationi S. Justinae ab Eug. IV. Const. ed. 1434. Feb. 25. P. 4. Et a Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jan. 25. P. 5. confirmantur omnia Privilegia Ord. Cisterciens.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 14. Nov. 1698. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro contra occupantes, seu usurpantes bona Congregationis de Alcobatia nuncupata Ordinis Cisterciens. in Regno Portugallia emanarunt literæ in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet:

§. 1. CLEMENS PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis nostræ sollicitudinis ratio postulat, ut in his auctoritatis nostræ partes libenter interponamus, per quæ Monasteriorum, & personarum in eis sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium commodo, & utilitati opportune consulitur. Sane dilecti filii Abbas Generalis, & alii Abbates, Abbatissæ, Monachi, & cæteræ Regulare personæ Congregationis de Alcobatia Ordinis Cisterciens. Regnum Portugallia, & Algarbiorum nobis nuper exponi fecerunt, quod licet alias fel. rec. Eugenius Papa IV. Prædecessor noster per suum speciale Privilegium Congregationi Sanctæ Justinae Ordinis S. Benedicti concessum, quo Exponentes prædicti ita utuntur, potiuntur, & gaudent, ac si pro eis in favorem eorumdem a Sede Apostolica a principio emanasset, & fuisset immediate concessum, inter alia decreverit, ut nulli omnino hominum liceret prædictæ Congregationis Monasteria, loca, res, & bona mobilia, & immobilia, possessiones, Domos, Molendina, aquas piscationis, Jura, seu Jurisdictiones temere perturbare, aut illa, vel eorum aliquod auferre, vel ablata retinere, occupare, seu quomodolibet vexationibus fatigare, quodque si aliqua Ecclesiastica, secularive persona cujuscumque gradus, vel conditionis existeret, etiam si Pontificali dignitate præfulgeret, contra hujusmodi Privilegium, & Indultum venire, vel aliquod eorum violando, occupando, turbando, vel diminuendo, seu indebitè fatigare præsumeret, neque facta ei notitia de hujusmodi Indulto infra tres dies se corrigeret, aut idoneam cautionem de satisfaciendo præstaret, excommunicationis sententiam ipso facto incurreret, a qua nisi dicta satisfactio præstita, præterquam in articulo mortis, & tunc de satisfaciendo per se si superveniret, aut per suos hæredes, vel successores idonea præstita cautione, non posset absolutio Beneficium obtinere, ac alias prout in dicti Eugenii Prædecessoris literis sub Datum anno

Constitutio Clem. pro dicta Congreg. cum adjectione pœnæ excommunicationis in contravenientes.

Incarna-

Incarnationis Dominicæ 1434. septimo Kalen. Martii Pontificatus sui anno Quarto expeditis latius continetur; Nihilominus a nonnullis maxima adhuc damna inferuntur Monasteriis prædictæ Congregationis de Alcobaria qui eorundem Monasteriorum muros, septa, Valla, Hortos, pomaria, nemora, Sylvas, Vineas, Agros, prædia, possalia, & prata diripiunt, & destrunt. Quare pro parte præfatorum nobis fuit supplicatum, ut dicti Eugenii Prædecessoris literis inhærendo super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur cupientes, ut dictæ Congregationis Monasteria, & Religiosa loca, eorumque personæ nullum neque in spiritualibus, nec in temporalibus recipiant detrimentum, huiusmodi supplicationibus inclinati Motu proprio, & ex certa Nostra scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine perpetuo statuimus, decernimus, & ordinamus, ut nulli omnino personæ cuiuscumque Ordinis, gradus, qualitatis, & conditionis existat, quantumvis seculari aliqua, aut Ecclesiastica dignitate præfulgeat, liceat directe, vel indirecte, tacite, vel expresse quovis quasi colore, vel ingenio tam per se, quam per aliquam aliam tertiam personam, seu personas Monasteriorum tam præsentium, quam futurorum dictæ Congregationis pecunias, bona, ædificia, villas, grangias, olivetas, possalia, prata, pasua, piscationes, molendina, aquas, aquarum decursus, Jura, Jurisdictiones, nemora, sylvas, vineas, possessiones, & alia quæcumque bona, quæ in præsentibus sunt, & in futurum erunt, & quæ omnia, & singula per eorum vocabula hic haberi volumus pro sufficienter expressis, temere perturbare, destruere, imminuere, occupare, diripere, auferre, depopulare, usurpare, seu quovis alio modo indebite damnificare, aut eorundem Monasteriorum septa, hortos, pomarios, & vineas, quæ sunt intra muros, & clausuram ipsorum Monasteriorum intrare, & ex ipsis vineis, pomariis, & hortis, quæ non sunt intra clausuram, & muros aliquid furari, aut in ipsorum nemoribus, & sylvis, arbores, & ligna scindere, eaque inde portare ausus fuerit, nec facta noticia de huiusmodi indulto, Decreto, Statuto, & Ordinatione nostris infra tres dies se correxerit, & idoneam cautionem de satisfaciendo præberit excommunicationis sententiam incurrat, a qua nisi debita, & integra satisfactio præstita præterquam in mortis articulo, & tunc per eos de satisfaciendo per se, si supervixerint, vel per hæredes, aut successores suos facta promissione possit a quocumque, nisi a nobis, aut a Romano Pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium obtinere: Sicque, & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, ac Sanctæ Rom. Eccl. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, Sedis Apostolicæ Nuncios, & Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Quo circa dilectis filiis Ecclesiarum Cathedralium dictorum Regnorum Portugallie Decanis illarum Diocesium, in quibus dictæ Congregationis Monasteria consistunt per præsentem committimus, & mandamus, quatenus easdem præsentibus literas, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Generalis, & aliorum Abbatum, Abbatissarum, ac dictæ Congregationis Regularium personarum fuerint requisiti, aut aliquis eorum fuerit requisitus, per Parochialium Ecclesiarum Abbates, Rectores, Vicarios, publicari faciant, & procurent, atque etiam, ut in præmissis efficacis defensionis præ-

sidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum fortiri, necnon eosdem Generalem, Abbatem, & ceteros Regulares personas prædictas, & eorum singulos omnibus præmissis frui, & gaudere non permittentes eos, & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, vel subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel defectu intentionis nostræ per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, contraditores quoslibet, & Rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliæque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinis, & Congregationis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, & manu Notarii publici, aut alicujus scribæ Monasteriorum dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo dictæ Congregationis, aut alicujus ipsius Monasterii, aut personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem omnino fides in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 20. Junii 1596. Pontif. nostri Anno Quinto.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii modernus Abbas Generalis, alique Abbates necnon dilectæ in Christo filie Abbatissa, & cetera regulares personæ utriusque sexus dictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, adhuc non desint, qui maxima damna Monasteriis dictæ Congregationis inferre, illorumque bona frequenter diripere, & destruere minime verentur, ac propterea ipsi exponentes præsertim Clementis Prædecessoris literas, quo serventur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ præsidio communiri summopere desiderant. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium consilio, præsertim Clementis Prædecessoris literas cum omnibus, & singulis in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respectu inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quæ in præsertim Clementis Prædecesso-

Causa Confirmationis, & preces Congregationis.

Confirmatio relatæ Constitutionis.

Clausula.

ris literis concessa sunt non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XIV. Nov. MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXII.

Imponitur perpetuum silentium super quaestione de Institutione Ord. Carmelitarum a Prophetis Elia, & Eliseo.

Congregationem Discalceatorum componere Ordinem Carmelitarum declararunt Romani Pontifices, ut in Clem. X. Const. ed. 1670. Oct. 31. Pont. 1. Et Bened. XIII. Const. edit. 1720. Febr. 14. Pont. 6. agitur de Decretis circa Doctrinam S. Thomae.

Dat. 20. Nov. 1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

R Edemptori, ac Domini nostri Jesu Christi, qui charitas est, & Deus Pacis, vices licet immeriti gerentes in terris, Christifidelium quorumcumque, potissimum vero divinis obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aura, proferre jugiter satagentium quieti, & tranquillitati sublatis jurgiis, atque altercationibus, quae fraternae charitatis serenitatem obnubilare possent, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, commissaque nobis a Domino potestatis partes desuper interponere studemus, sicut omnibus maturae considerationis trutinam perpenis salubriter in Domino expedire arbitramur.

Causa hujus Constitutionis.

§. 1. Cum itaque sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, ex acerbis super primae institutione Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, illiusque successione a Sanctis Prophetis Elia, & Eliseo dudum enatis contentionibus, magnum Christifidelium ejusmodi minus necessarias quaestiones, utpote de rebus ad fidei veritatem, seu morum disciplinam minime pertinentibus, praesertim inter Religiosos viros, quos vota sua Altissimo in Sanctitate, & Justitia, paceque fraterna reddere decet, summopere improbantium, scandalum obveniret, illudque ob quamplures libros, ac libellos acerbiori stylo desuper hinc inde conscriptos in dies plurimum augeatur. Hinc est, quod Nos ex injuncto Nobis divinitus Pastoralis sollicitudinis munere serio considerantes, in quantum malorum segetem ejusmodi dissidiorum zizania succrescere possint, nisi provide ex agro Domini evellantur, ac proinde gravioribus perturbationibus, quae praemissorum occasione in dies oriri possent, omnem ansam praecidere, & opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, habita super iisdem praemissis cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini interpretibus, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine super praefata quaestione de primae institutione, ac successione Ordinis supra dicti a Prophetis Elia, & Eliseo perpetuum silentium tenore praesentium imponimus; illudque a Defensoribus utriusque sententiae, necnon ab omnibus, & quibuscumque, aliis cujuslibet status, gradus, conditionis, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam specifica, & individua mentione, & expressione digni tam in scriptis, dissertationibus, & libris imposterum typis edendis, quam in publicis disputationibus, ac The- sibus, sub excommunicationis latae sententiae

Impositio silentii motu proprio facta sub excommunicationis poena.

poena per contrafacientes ipso facto incurrenda perpetuo servandum esse decernimus, & ordinamus.

§. 2. Praeterea libros, Theses, seu scripta quaecumque contra earundem praesentium formam in posterum edenda, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus harum serie prohibemus, sub poenis, & censuris in Regulis Indicis librorum prohibitorum contentis, illaque eo ipso absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus, & mandamus. Non intendimus tamen per silentii hujusmodi impositionem, uni seu alteri ex dictis sibi adversantibus sententis, ullum majus pondus adjungere, sed utramque manere volumus in statu, & terminis, quibus de praesenti reperitur, donec aliter Nobis, & Sedi Apostolicae visum fuerit determinare.

§. 3. Devenientes pariter easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari: Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sedis praedictae Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praereminentia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus praemissis ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quantum opus sit, Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutum quorumcumque, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac de verbo ad verbum exprimerentur, & infererentur nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem praesentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si praefatis, vel aliis quibuslibet communiter, vel divisim ab eadem sit Sede Indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 5. Volumus autem, ut praesentes Literae in Valvis Ecclesiae Lateranensis, & Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Ci-

Prohibentur libri, & scripta super dicta quaestione.

Relinquitur utraque pars in sua probabilitate.

Clausula.

torio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est publicentur, & affigantur, sicque publicata, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt perinde ardeant, & afficiant, acsi unicuique eorum personaliter intimata fuissent. Quodque earumdem presentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsi presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XX. Novembris MDCXCVIII. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXIII.

Statuitur, ut Canonici Regulares Congregat. Hispaniæ Ord. Præmonstraten. tam in habitu, quam in cæteris cum aliis uniformes sint.

Idem circa habitum mandatum fuit ab Urban. VIII. Const. ed. 1641. Aug. 19. P. 19. Et præsens Constitutio confirmatur a Clem. XI. Const. ed. 1702. Nov. 9. P. 2.

Dat. 6. Dec.
1698. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa muta-
ti habitus.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Canonici Regulares Congregationis Hispaniæ Ordinis Præmonstraten., quod cum alias tunc existentes Canonici Regulares dictæ Congregationis Canonici Regularibus Gallis Ordinis prædicti se se opposuissent, & subinde Superior Generalis Ordinis hujusmodi ex Natione Gallica assumptus fuisset, ut se ab illius Jurisdictione eximerent, a bo. me. Nicolao, dum vixit Episcopo Patavin. tunc in Hispaniarum Regnis Apostolicæ Sedis Nuntio petierunt, ut quo ab aliis Canonici Regularibus Ordinis prædicti distinguerentur sibi habitus Regularis formam immutare liceret, ab eoque obtinuerunt, ut ad instar Fratrum Calceatorum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, habitum albi coloris ex stamineo textu subtiliori, sine tamen tessera scapulario adsuta, ac absque Mantello, seu pallio super Caputio gestare valerent, quo habitu ipsi Exponentes de presenti utuntur.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti Exponentes usum habitus hujusmodi imprudenter, & inconsiderate ab eorum antecessoribus introductum fuisse, ipsorumque habitum ab eo, qui per Regulam Sancti Norberti Ordinis prædicti fundatoris præscribitur, quique a Canonici Regularibus Provinciarum Italiæ, Franciæ, & Alemanniæ dicti Ordinis aliarumque Christiani orbis partium, in quas idem Ordo propagatus reperitur, de præfenti gestatur, & antiquitus etiam a Canonici Regularibus Ordinis hujusmodi in Regno Castellæ degentibus gestabatur, difformem esse, adeoque se per illius delationem a dictæ Regulæ Institutis deficere, & insuper a Fratribus quorundam aliorum Ordinum non distingui agnoscant, ac proinde habitum Regularem, qui in limine fundationis dicti Ordinis præscriptus fuit, reassumere, eoque in futurum uti, necnon officia Sanctorum ejusdem Ordinis recitare posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, &

eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut de cætero iidem Exponentes cum universo Ordine Præmonstraten. tam in habitu, quam in cæteris uniformes sint, & esse debeant, auctoritate Apostolica tenore presentium statuimus, & ordinamus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§. 3. Decernentes eandem præsentem literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis Hispaniæ, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra ubique locorum habeatur, quæ ipsi presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die VI. Decemb. MDCXCVIII, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Confirmatur aggregatio Congregationis Sancti Patritii in Hibernia Congregationi Canonico-regularium Lateranen. cum eorumdem Constitutionum receptione.

CXIV.

A Clem. X. Const. ed. 1672. Aug. 19. Pont. 3. edita sunt nonnulla Constitutiones pro Canonici Lateranensibus, & a Clemen. XI. Constit. ed. 1701. Maii 19. Pont. 10. confirmatur Clemen. X. Constitutio.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Canonici Regulares Congregationis Sancti Patritii in Regno Hiberniæ, quod alias ne ipsi

Statutum prædictum.

Clausulæ.

Causæ Statuti, & preces Congr. Hispaniæ.

Dat. 30. Jan.
1699. An. 8.

Causa aggregationis.

diutius dispersi, ac sine Pastore remanent, dicta eorum Congregatio Congregationi Lateranen. Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Augustini, de consensu illius Superiorum aggregata fuit, cum facultate utendi Constitutionibus ejusdem Congregationis Lateranen., servatis tamen durante presenti rerum, dictique Regni statu nonnullis moderationibus in Decreto super aggregatione hujusmodi emanato expressis.

Preces Congregationis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes aggregationem predictam quo firmiter subsistat, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propaganda Fidei praepositorum qui rem mature perpenderunt, consilio, aggregationem praedictae Congregationis S. Patritii Congregationi Lateranen., sicut praemittitur factam, sine praedicio tamen iurium Ordinariis Locorum quomodolibet competentium, & cum usu Constitutionum ipsius Congregationis Lateranen., auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervererint supplemus; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Confirmatio d. Aggregationis sine praedicio Ordinariorum.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus & per omnia, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & desiniri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Congregationum Sancti Patritii, & Lateranen., ac Ordinis, praefatorum, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus, pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXX. Januarii MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXV.

Confirmatur Decretum Congreg. Epif., & Reg. pro independentia Cœnobii Albarii Ordinis Minor. S. Francisci Conventualium.

Alexan. VIII. Const. ed. 1690. Apr. 5. P. 1. extant quadam Decreta Capituli Gen. Et hujus Pontificis Const. edit. 1699. Maii 16. P. 8. agitur de Primatu inter Diffinitores perpetuos Provincia- rum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EManavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita in Causa Januen. Subjectionis Conventus Loci Albarii inter dilectos filios Fratres Conventus Januen. ex una, & modernum Ministrum Provincialem Provinciae Januen. Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum ex altera partibus vertente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet; In Causa Januen. Subjectionis Conventus Albarii inter Patres Conventus Januae ex una, & Patrem Provincialem dictae Provinciae Ordinis Minorum Conventualium partibus ex altera de, & super infra scriptis Dubiis nempe. Primo An Conventus loci Albarii sit proprie membrum annexum, ac dependens a Conventu Januae, seu potius sit Conventus formatus, ac independens. Secundo An Patribus Januae competat Jus faciendi actus Capitulares, & signanter petendi revisiones computorum, ac redditiones rationum, seu potius hoc spectet ad Guardianum Albarii, & ejus familiam, vel ad Ministrum Provincialem. Tertio An Guardianus Albarii sit eligendus ex corpore Capituli Januae. Quarto An Guardianus Januae possit ad sui libitum transmittere Patres Capitulares Januae ad dictum Conventum, itaut censeantur tanquam de familia, an vero id spectet ad Ministrum Provincialem, ac Diffinitorium. Quinto An Patres Januae possint etiam dici PP., & filii Conventus Albarii, seu potius liceat Ministro Provinciali decernere, ut in dicto Conventu Patres, & filii constituantur juxta Constitutiones Ordinis. Sac. Congregatio Eminentissimor., & Reverendissimor. S. R. Ecl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, Partibus ipsis informantibus, Referente Eminentissimo Petruccio, censuit, ac declaravit praedictum Conventum Albarii esse in statu Conventus formalis, & independentis, & in reliquis servari Constitutiones Urbanas. Romae 23. Januarii 1699. -- G. Card. Carpineus -- N. Archiepiscopus Athenarum.

Dat. 7. Febr. 1699. An. 8.

Decretum Congr. in causa inter FF. Provinciae Januen. super subjectione d. Cœnobii.

Dubia proposita.

Resolutiones.

Preces Ministri Provincialis.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 1. Cum autem sicut pro parte ejusdem Ministri Provincialis Nobis subinde expositum fuit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis Nostrae patrocinio communiti plurimum desideret. Nos specialem ipsi Ministro Provinciali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesertim auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro

tempore

tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, Provinciæ, & Conventuum prædictorum, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentibus illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die VII. Februar. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXVI.

Confirmatur Decretum Congreg. Concilii super obligatione Parochorum applicandi Sacrificium pro Populo in diebus festivis.

Const. ed. 1697. Dec. 23. P. 7. extant plura Decreta super celebratione Missarum. Et Bened. XIII. Const. ed. 1728. Jun. 14. P. 5. agitur de Ordinariis ejectis a Societate Jesu.

Dat. 24. Apr. 1699. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causa hujus Decreti fuit Episc. Pistorien. & Praten.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum emanavit super quodam dubio pro parte Venerabilis Fratris moderni Episcopi Pistorien., & Praten. Congregationi hujusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur videlicet Pistorien. Praten.- Cum Parochi Ecclesiarum Pistorien., & Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti negligant in dies celebrationem, & respective applicationem Sacrificii pro Populo juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, Episcopus ad consulendum, nedum propriæ, verum etiam dictorum Parochorum conscientia, supplicat declarari.- *An Parochi teneantur omnibus diebus festis applicare Sacrificium pro Populo, sive non? Die 14. Februarii 1699.*- Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, dandas esse resolutiones alias hac de re editas, & signanter in Nullius Nonantulan. Eminentissimo Abbati 30. Augusto 1698. tenoris, ut infra.- Cum præcepto Divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovis suis Sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis Sacrificii proposito, & respective resolutio sub die 10. Maji 1692. his præcis verbis concepto.- *An Parochus Missam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis, in diebus Dominicis, & festis, sive habeat congruam, sive non? Sacra, &c., juxta alias declarationes censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam elemosynam recipere; ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres quoad Parochos Nonantulanæ Diocesis, addentes infu-*

Decretum Congr. 1699. simile alteri pro Abbate Nonantulan.

per, quod E. V. pro suo Pastoralis zelo detestantes Parochos compellere non gravetur.- I. Cardinalis Sacripantes Præfectus.- F. Nuptius Secretarius.

§. 1. Cum autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolica confirmationis Nostræ patrocinio communiti plurimum desideret; Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus Literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Aprilis MDCXCIX, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Confirmatur Decretum Congreg. Episc. & Reg. circa primatum inter Diffinitores perpetuos, seu Patres Provinciæ Ord. Min. S. Francisci Conventualium.

Preces Episc. Pistorien.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

CXVII.

A Clem. X. Const. ed. 1671. Dec. 1. P. 2. nonnulla determinata fuere circa dd. Diffinitores: Ab Inn. XI. Const. ed. 1688. Nov. 29. P. 13. circa primatum Collegialium. Et ab hoc Pontifice Const. ed. 1700. Jun. 14. P. 9. circa primatum FF. S. D. daci Discolo. in Ind. Occident. Necnon a Clem. XI. Const. ed. 1720. Maji 7. P. 20. confirmantur quedam Decreta Diffinitorii Gen.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Diffinitorum perpetuorum Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum per parentes Literas Ministrorum Generalium dicti Ordinis institutorum Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod dudum fel. rec. Clemens Papa X. Prædecessor Noster, ut statui, & præcedentiæ inter Diffinitores perpetuos Ordinis prædicti, Patres Provinciæ vocari solitos, qui in quinque species distincti esse recensentur, nempe aliqui propter gestum in propria, vel aliena Provincia Provincialatus Officium, alii, quia lecturam duodecim annorum spatio in Regentiis, inter quas

Dat. 16. Maji 1699. An. 8.

A Clem. X. concessum fuit, ut inter quinque species Diffinitorum perpetuorum servaretur ordo electionis.

erant, quæ primæ classis vocabantur, & Collegiis, vel Universitatibus studii Generalis exercuissent, alii ex eo, quod verbum Dei eodem temporis spatio in Pulpitis, seu Ecclesiis per Decreta dicti Ordinis præscriptis prædicassent; alii, quia cum in Sacra Theologia Magistri essent, per annos duodecim Magistri Novitiorum munere functi fuissent; & reliqui ex Decreto rec. me. Alexandri Papæ VII. etiam Prædecessoris Nostri, qui pariter Magisterii in Sacra Theologia gradu decorati per duodecim annorum decursum Inquisitores hæreticæ pravitatis fuissent, seu partim lecturam, ut supra, & partim Inquisitoris Officium exercuissent, provisum foret, supplicationibus pro parte tunc existentis Procuratoris Generalis Ordinis prædicti, nomine etiam tunc pariter existentium Ministri Generalis, ac Diffinitorum generalium perpetuorum, & Assistentium ejusdem Ordinis sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus ut de cætero omnes, & singuli Diffinitores perpetui Provinciarum dicti Ordinis modo, & forma prædictis, post finitum lecturæ, seu prædicationis, vel Magisterii Novitiorum, aut Inquisitoratus tempus per Constitutiones ejusdem Ordinis, seu prædictum Alexandri Prædecessoris Decretum respective præscriptum ab existente pro tempore Ministro Generali Ordinis hujusmodi per parentes ejus Literas cæteroqui canonice eatenus instituti, & in futurum instituendi, illico Exprovincialium præminentiss, prærogativis, & præcedentiis fruerentur, potirentur, & gauderent in omnibus, & per omnia, ac sine prorsus ulla differentia, perinde ac si Provincialatus munere functi fuissent, atque inter eos, & Exprovinciales prædictos servaretur æqualitas, & quoad ordinem præcedentiæ, sola prioritas Diffinitoratus, & Paternitatis Provinciæ attenderetur, auctoritate Apostolica concesserat, & indulserat, & alias prout in ipsius Clementis Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis expeditis uberius dicebatur contineri. Et in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli, qui ratione Officii Provincialatus titularis Diffinitores perpetui Ordinis prædicti esse reperiebantur, antiquitatem sui Diffinitoratus in suis Provinciis nativis non a tempore absoluti, quando scilicet revera Exprovinciales dicuntur, & remanent, sed a die incepti Provincialatus Titularis Officii hujusmodi, seu ipsorum institutionis in Provinciales titulares computari, seu desumi debere prætendebant, contra expressum sensum verborum prædictarum Clementis Prædecessoris Literarum, in quibus videlicet Exprovinciales denominabantur, & propter gestum Provincialatus Officium Diffinitores perpetui recensebantur, imo etiam contra expressam dispositionem Constitutionum Urbanarum nuncupatarum dicti Ordinis *Cap. 8. tit. 22. n. 3. in fine*, ubi Statutum illos concernens legi dicebatur hoc verborum tenore: Expleto hujusmodi Provincialatus tempore, deinceps nativarum Provinciarum Patres, perpetuique Diffinitores jure, legitimeque remaneant; ex præsentibus vero hujusmodi multæ dissensiones inter Fratres prædicti Ordinis, non sine divini servitii, & regularis observantiæ detrimento resultabant; Ideoque pro parte eorundem Diffinitorum perpetuorum per patentes Literas Ministri Generalium Ordinis hujusmodi, sicut præmittitur, institutorum dictæ Congregationi Cardinalium supplicato, ut declarare vellet, an juxta prædictas Clementis Prædecessoris Literas memorati Exprovinciales Titulares ab incepti, seu potius ab absoluti eorum Provincialatus Officii tempore Diffinitores perpetui in suis Provinciis nativis reputari deberent: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet--Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum

Nonnulli Diffinitores contra jus prætendebant attendendum esse ordinem electionis ad Provincialatum.

Decretum Congreg.

S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, audito Patre Procuratore Generali prædicti Ordinis, & attentis narratis, censuit, & declaravit, præcedentiam inter Diffinitores perpetuos, & Provinciales Titulares admittos ante ultimum Capitulum Generale desumendam esse in Provinciis nativis, postquam ipsi Patres Provinciales compleverint Triennium Provincialatus Titularis, & titulum, & denominationem Exprovincialium assumpserint, & non antea; In Provinciis vero titularibus a die post Institutionem per Literas Patentes, & post emissionem professionis fidei, prout præsentis Decreti vigore desumi mandat, ac præcipit. Romæ 26. Martii 1699. G. Cardinalis Carpineus -- N. Archiepiscopus Athenarum Secretarius.

§. 1. Cum autem sicut Diffinitores perpetui per patentes Literas, ut præfertur, instituti Nobis subinde exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desiderant: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes eadem præsentis Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum intertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo persona in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Maji MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

quo mandatur servandum esse ordinem Diffinitoratus, & non Provincialatus.

Preces quorundam Diffinitorum.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

CXVIII.

Indicatur Univerſale Jubilæum anni Sancti 1700.

Ultimum Jubilæum anni S. 1675. indictum fuit a Clem. X. Conſt. ed. 1674. Apr. 16. P. 4. Extat aliud univerſale Jubilæum pro pace inter Principes Chriſtianos hujus Pontificis Conſt. ed. 1695. Dec. 3. P. 5. Et Inn. XIII. Conſt. ed. 1721. Maji 27. P. 1. pro initio ſui Pontificatus.

Dat. 17. Maji
1699. An. 8.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Univerſis Chriſtiffidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Procemium
a commendatione
hujus
anni S. peti-
tum.

REgi ſæculorum, qui ſedet ſuper Cherubim, & terrena omnia per labentium temporum vices, immortalis ipſe, & incommutabilis permanens, mira ordinatione diſpenſat cantemus, dilecti filii, canticum novum, & acceptabile gratiarum, & laudis Sacrificium immolemus: Dum enim exeuntis jam ſæculi finem inſtare conſpicimus, ſuperam merito erga nos miſericordiam conſtemur, quia tot inter humanæ vitæ pericula non ſumus conſumpti, & noſtræ ſimul mortalitatis admoniti, prætereire omnia, & nihil permanere ſub Sole, non divinis modo eloquiis credimus, ſed ipſo decurrentium ſæculorum experimento deprehendimus; æternæ ſcilicet providentiæ per mundanas hujusmodi varietates nos erudiente conſilio, ut immortalis vitæ gaudiis deſtinati ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo, atque infirma hæc, & inſtabilia contemnentes, ad ea, quæ ſuſum ſunt, & in æternum permanent, animos erigamus. Hoc vero ſaluterrimum, & Chriſtiano plane dignum nomine ſtudio, eſt nullo unquam vitæ noſtræ tempore negligendum, peculiari tamen ratione, ac ſuo quodam veluti jure Nobis exigit appropinquans lætiſſimus ille, univerſæque Catholice Eccleſiæ venerabilis Annus Nobis ex veteri Majorum inſtituto celebrandus, quo ad hanc Almam Urbem noſtram, & Beati Petri ſedem ex toto Orbe concurrunt, & univerſis Fidelibus ad quæque pietatis officia impenſus excitatis, cæleſtes theſauri Unigeniti filii Dei, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, Sanctorumque ejus meritis comparati, latiſſime referantur. Antiquorum enim, ut noſtris, habet fida traditio, per decurrentes ſæculorum ætates, centenis quibuſque ab eſſeſdem Domini Noſtri ſalutifera Incarnatione annis, ampliſſimas peccatorum indulgentias, ac remiſſiones pie, ac devote Sacra Apoſtolorum limina viſitantes eſſe propoſitas. Et quamvis provido Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum conſilio Sanctiſſimi hujus Jubilæi celebrandi tempus, quod multi, ætate hominum in dies decreſcente, attingere non valebant, quo plures poſſent Indulgentiarum ejus fieri participes, intra anguſtiores annorum limites contractum fuerit: ipſa nihilominus centenarii celebratio, & antiquitatis præſtantia, expreſſiori primæ originis repræſentatione in primis inſignis merito exiſtimatur; poſtremo videlicet cujuſvis ſæculi anno, quod longiſſimum humanæ vitæ ſpatium reputatur, Chriſtiani omnibus partum ſibi per Chriſtum æternæ vitæ per infinita ſæcula duraturæ beneficium ſolemnitus recolentibus. Audite ergo hæc omnes gentes, quæ Chriſti nomine gloriamini; auribus percipite, qui habitatis Orbem, Reges terræ, & omnes populi, ſimul in unum dives, & pauper, dum nos eſſeſdem Chriſti vices, licet immeriti, gerentes in terris, annuntiamus vobis, & evangelizamus Annum Domini placabilem; Annum expiationis & veniæ, redemptionis & gratiæ, remiſſionis & in-

dulgentiæ peccatorum. Audiat terra verba oris Noſtri, & buccinæ Sacerdotalis Jubilæum populo Dei perſonantis clangorem univerſus Orbis lætus excipiat; dum quod olim filius Iſrael in umbra legis præfiguratum accepimus, hoc in Evangelii veritate jam cernimus ſpiritualiter adimpletum: nec enim, ut pridem Judaicum populum, ad terrenarum poſſeſſionum recuperationem Chriſtiani nos annus Jubilæus invitat, ſed ad æternæ aſſeſſionem hereditatis, a qua nos prævaricatio primi parentis excluſerat; non ab humana ſervitute manumittimur, ſed in libertatem filiorum Dei vindicamur; non pecuniarum debito abſolvimur, ſed peccatorum; non labori colendæ terræ ſubducimur, ſed in cælium contemplatione Domino feriamur.

§. 1. Quod igitur ratio temporis, & eorundem Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum admonet conſuetudo, illorum veſtigiiſ inſherentes, de Venerabiliſſimi Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium aſſenſu, univerſalis, & maximi in hac Alma Urbe Noſtra Jubilæi celebrationem in annum proximum Miſeſimum ſeptingentieſimum, a primis Veſperis Vigiliæ Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti proxime futuræ inchoandam, & per totum annum ipſum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis, & Beatorum Petri, & Pauli, ac noſtra, maximo, & ſuperabundanti noſtri cordis gaudio, & exultatione, ad ipſius Dei gloriam, Catholice Eccleſiæ exaltationem, ac totius Chriſtiani populi ſanctificationem indicimus, & promulgamus. Quo quidem Jubilæi anno durante, omnibus utriuſque ſexus Chriſtiffidelibus vere penitentibus, & confeſſis, qui Beatorum Petri, & Pauli, necnon S. Joannis Lateranenſis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Baſilicas ſemel ſaltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, ſi Romani, vel incolæ Urbis, ſi vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim ſaltem dies devote viſitaverint, & pro Sanctæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Chriſtiani populi ſalute, & tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, pleniffimam omnium Peccatorum ſuorum indulgentiam, remiſſionem, ac veniam miſericorditer in Domino concedimus, & impertimur. Et quoniam evenire poteſt, ut ex iis, qui hac de cauſa iter aggreſſi fuerint, vel ad Urbem ſe contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipſa Urbe morbo, vel alia legitima cauſa detenti, aut morte præventi, præſinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortæſſe inchoato, præmiſſa exequi, & dictas Baſilicas viſitare nequeant: Nos piæ promptæque illorum voluntati, quantum in Domino poſſumus, benigne favere cupientes, eodem vere penitentes, & confeſſos prædictæ indulgentiæ, & remiſſionis participes perinde fieri volumus, ac ſi dictas Baſilicas diebus a Nobis præſcriptis reiſpſa viſitaſſent; ut præſatis neceſſitatibus impediti deſiderii ſui effectum dono Sancti Spiritus conſequantur.

§. 2. Sanctificamini itaque, Filii dilectiſſimi, & præparate corda veſtra Domino, ut Annum merito Sanctum a Majoribus appellatum, quia ſanctis operibus ſpecialius præſtitutum, devotioſis religioſæ conſuetudine celebretis. Lavamini, mundi eſtote, auferite malum cogitationum veſtrarum ab oculis Domini, & renovati ſpiritu mentis veſtræ, orationibus inſiſtite, frequentate jejunia, elemoſynas erogate, quibus, & propitiatio Dei quaritur, & concupiſcentia carnis extinguitur, & anteaſtæ vitæ crimina redimuntur. His porro Chriſtiana Vitæ ornamentis inſtructi, virtutumque præſidiis communiti, impigra, piaque animi alacritate, ad hanc Sanctam in terris Civitatem Dei, tot Sanctorum Martyrum, ac Beatorum præcipue Apoſtolorum Eccleſiæ Principum memoria præcellentem, velut

Indicatio Jus
bilæi, & ejus
conſequenti
ratio.

Excitantur
omnes ad bona
opera, &
ad Jubilæum.

ad thronum gratiæ; accedite cum fiducia, ut misericordiam consequamini: si enim duorum, vel trium fidelium pio consensui omnia, quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit, quid denegabitur multorum millium plebi unam observantiam pariter exequenti, & per unum Spiritum in ipsa Religionis arce concorditer supplicanti? Dirigat Dominus gressus vestros in semitis suis, & in pace deducat nos velut oves pascuæ suæ ad Pastorem vobis in terris divinitus constitutum humiliter confluentes, ut qui unum corpus sumus in Christo, unanimes honorificemus Deum, & in Sanctæ Ecclesiæ, quæ una est dilecta Dei nostri, communionem invicem collætemur. Atque utinam vobiscum pari charitatis amplexu, & paterni amoris in sinu daretur excipere filios olim nostros, nunc autem ab Ecclesiâ transfugas, qui juxta Nos erant, & de longe steterunt, recedentes a Fide Patrum suorum, & avertentes se ab ubere Matris suæ, quod sine gravi dolore recolere non valemus: deceptorum quippe tot animarum ruinas cum fletu, & lacrymis miseramur, exequentes Apostolicæ pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur. Et quia Nos ejus locum, licet immeriti, tenere conspiciamus, qui venit revocare dispersos in terram suam; oves, quæ perierunt, assiduis ad Deum votis repetere, & Pastoralis sollicitudine quærere non desistimus, clamantes, & invitantes, ut revertantur prævaricatores ad cor, omnique hæretica pravitate deposita, Catholicæ veritatis lumen agnoscant, & ad S. Matris Ecclesiæ redeant unitatem.

Mandatur Ordinariis locorum promulgatio jubili.

§. 3. Vos autem in primis, Venerabiles Fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, sal terræ, & lux Mundi a Domino constituti, & ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in consortium nostræ sollicitudinis advocati, Dominico gregi devotionem Officii Pastoralis impendite, vocatæ cœtum, congregatæ Populum, ovesque vobis creditas ad primi post Christum Pastoris Beati Petri Sedem adducite, ut convenientibus undequaque ad Fidei petram, & Catholicæ unitatis fundamentum Christifidelibus, una Ecclesiæ Fides, & unus Spiritus clarior pateat, atque uni visibili capiti, Christi in terris Vicario, membrorum ejus perpetua, atque indivisa conjunctio charitatis glutino coagmentata, unde unum Christi Corpus efficitur, toti Mundo splendidius elucescat. Dicite in gentibus, quam magnum, & in conspectu Domini pretiosum sit, cum totus Christi populus eisdem simul instat Officiis, & in utroque sexu omnes gradus, omnesque ordines sanctis operibus uno cooperantur affectu, plenissima enim obtinetur peccatorum abolitio, quando una est Ecclesiæ totius oratio. Annuntiate Populis Annum acceptabilem Domino, caelestium gratiarum ubertate redundantem, quem proinde Fideles cuncti pia devotione suscipiant, & bonorum operum frequentatione sanctificent. Docete omnes, sacro hoc potissimum tempore, a peccatis abstinere, intemperantiam fugere, & turpium voluptatum damna vitare, emundatosque ab omni inquinamento carnis, & spiritus caelestia concupiscere, & in amorem se incorruptibilis boni, atque in spem veræ lucis attollere. Detumescat superbia, mansuescat iracundia, cessent odia, deficiant similitates, & in unitatem dilectionis omnia Christi membra conveniant. Qui vero substantiam hujus Mundi habent, vobis prædicantibus, discant, non in incerto divitiarum confidere, sed omni avaritiæ labe deposita ad promerendam misericordiam Dei per opera misericordiae se præparare. Aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam sublevent, ac Peregrinos præcipue Romam venientes subsidiis adjuvent, hospitio excipiant, omnibusque Christianæ Charitatis Officiis prosequantur.

Item ut hortentur Christifideles ad bona opera verbo & exemplo.

Omnes autem, ut vetus Ecclesiæ consuetudo Apostolico ore laudata Nos admonet, orent pro Regibus, & Principibus Christianis, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, & pax, & concordia perpetuo conservetur. Eos porro, qui Sacram peregrinationem ad hanc Almam Urbem nostram susceperint, paternis exhortationibus specialius admonete, qua cordis devotione, & modestia, ac fraternæ pacis observatione ubique se gerant, ut Christi bonus odor fiant, in omni loco. Non vanis intendant fabulationibus, non Mundi curiosa sectentur, sed piis meditationibus mentem instruant; & ad portandas itineris molestias divinarum rerum colloquiis, humanis etiam, & canticis spiritualibus sibi invicem adjumento sint, & contentent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini, cogitent, quia dum fumus in corpore, peregrinamur a Domino, quodque non habentes hic manentem Civitatem, futuram inquirimus, & ad eam, quæ sursum est, Jerusalem Matrem nostram sanctæ spei affectibus aspiramus. Avertant in itinere oculos suos, ne videant vanitates; nec illicitis cupiditatibus, aut secularibus desideris a suscepto pietatis proposito distrahi se patiantur. Sic bonas facient vias suas, & ambulantes in semitis Justitiæ, digni fiant, Angelo Dei comite ad hanc Sanctam Civitatem cum exultatione deduci, ubi introibunt in tabernacula Domini, & adorabunt in locis, ubi requiescunt Sancti ejus. Intrabunt portas ejus in confessione, portas justitiæ, quibus facilis ad misericordiam Dei præstatur accessus, & ad celestium benedictionum thesauros acquirendos felix aditus aperitur. In omnibus autem, Venerabiles Fratres, probate vos ipsos, & omnem Clerum exemplum bonorum operum, & formam gregis: luceat lux vestra coram hominibus, ut vestra virtutis, ac religionis velut sale cæteri condiantur, dumque in vos, tanquam speculum oculos conspiciunt, ex actionibus vestris habeant, quod imitentur.

§. 4. Charissimos quoque in Christo Filios Nostros Imperatorem Electum, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, quos in ipsa etiam ad Sacra Beatorum Apostolorum limina piæ peregrinationis laude, majorum suorum æmulatores fieri summo opere cuperemus, & magno ingravescentis senii nostri solatio, antequam Dominus in pace dimitteret seruum suum, in benedictionibus dulcedinis amantissime amplecteremur, hortamur interim, & rogamus in Domino, ut quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tanto ardentius, ut par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur; præcipue vero Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum, & Superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem, & vigilantiam adjuvent, & a suis Magistratibus, & Ministris adjuvari mandent, & improborum licentia coerceatur, & bonorum studia eorum Regia ope, & gratia foveantur. Maxime autem erga Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exercent, curentque, ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed Hospitalibus, Domibus, & publicis Hospitiis amanter excepti, & comætu, rebusque ad vitam necessariis recreati, sine ulla concussionem, & injuria, institutum iter læti peragant, & cum gaudio in Patriam revertantur. His enim hostiis Reges potissimum, & Principes Deum sibi placibilem reddent, ut diu in terris felices vivant, & demum in æterna tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, erga quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur.

Imploratur auxilium Principum.

§. 5. Ut vero præsentem Literæ ad omnium Fidelium, quibuscumque in locis existentium

Clausula.

noti-

notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ sigillo munitis eandem prorsus fidem haberi, quæ haberetur ipsi præsentibus, si exhibitæ forent, & ostensæ.

§. 6. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo nono. Quinto decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostræ Anno Octavo.

CXIX.

Confirmatur Decretum Provinciæ S. Evangelii in nova Hispania Ord. Min. de Observ. recollectorum de eligendo uno Diffinitore ejusdem Provinciæ.

De electione Officialium pro Provinciis Hispaniæ, & Romane vide Inn. XI. Const. ed. 1685. Apr. 16. P. 9. Et hujus Pontificis Constitut. ed. 1695. Sep. 12. P. 5. Et de Procuratore Gen. vide Clem. XI. Const. ed. 1705. Mar. 12. P. 5.

Dat. 13. Dec. 1699. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Causæ dicti Decreti.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Provinciæ S. Evangelii nuncupatæ in nova Hispania Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Recollectorum nuncupatorum, quod cum in Constitutionibus Generalibus dicti Ordinis disponatur, ut in singulis Capitulis Provincialibus Provinciarum Familiæ Ultramontanæ ejusdem Ordinis pro tempore celebrandis unus Religiosus ex Statu Recollectionis Ordinis hujusmodi assumatur, & in Diffinitorem omnino eligatur, hæcque dispositio in dicta Provinciâ usu recepta reperitur, inter Fratres vero, qui de Observantia dicuntur, in eadem Provinciâ existentes quadam vigeant partialitates, quas Fratres de Observantia prædicti, etiam inter ipsos Exponentes introducere tentarunt, iidem Exponentes agnoscentes partialitates hujusmodi eorum quieti, & Religiosis Institutis repugnare, non solum eas omnino rejecerunt, verum etiam quo firmiter sua jura tuerentur curarunt, ut die 13. Decembris 1696. tota Provinciâ prædicta, illiusque Diffinitorio consentientibus, & subscribentibus inter alia ederetur Decretum tenoris, qui sequitur videlicet. Item determinatum fuit, quod quia semper Sancta Recollectio istius Provinciæ Diffinitorem perpetuo teneat, conformiter ad nostras Leges, eligatur semper unus Diffinitor Recollectionis absque eo quod attendatur ad aliquam partialitatem; & casu, quo, vel ex morte, vel ex alia quacumque causa Diffinitoris Recollectionis votum vacaret; Statutum Generale de hoc puncto pertractans servabitur.

Decretum Provinciæ.

Preces Provincie, & causa confirmationis.

§. 1. Cum autem, sicut eadem Expositio subiungebat, variis artibus, & coloribus Decretum hujusmodi in maximum Recollectionis inter Exponentes præfatos stabilitæ præjudicium eludi, ac saltem indirecte averti tentatum fuerit, ac proinde dicti Exponentes illud quo perpetuam roboris obtineat firmitatem, nec a quoquam sub quovis prætextu directe, vel indirecte convelli, aut prave detorqueri unquam possit, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri sumopere desiderent: Nos ipsos Exponentes spe-

cialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum Nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui dilectum etiam Filium Commissarium Generalem Curie dicti Ordinis super præmissis audiverunt, consilio, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XIII. Decem. MDCXCIX. Pontificatus Nostræ Anno Octavo.

Confirmatur Constitutio Gregor. XV. circa dispensationem voti, ac juramenti a Clericis Congregationis Doctrinæ Christianæ de Urbe emissi, una cum illius declaratione, & Indulto suscipiendi Ordines ad titulum Congregationis.

CXX.

Landata Constitutio ed. fuit 1621. Nov. 12. ab Alexandro VII. ligati fuere tribus votis Constitutio. ed. 1659. Sep. 26. Et Clem. XI. Constitut. 1716. Sep. 29. P. 16. agitur de voto perseverantia.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Dat. 29. Junii 1699. An. 8.

Ad futuram rei memoriam.

APOSTolicæ sollicitudinis, quam meritis licet, & viribus longe impares, divina dignatione gerimus, ratio exigit, ut illis quæ a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ad viro- rum in sortem Domini vocatorum, pietatisque officii assidue incumbentium Congregationes sub salubribus earum Regulis, atque Institutis continendas sapienter disposita esse noscantur,

Exordium.

quo firmiora sint, & seruentur exactius, Apostolici muniminis nostri patrocinium adiungamus, ac alias pastoralis officii nostri partes desuper interponamus, sicut in Domino expedire arbitramur.

A Greg. XV. statutum fuit, ut solus Pontifex dispensaret, vel commutaret votum & iuramentum prædd.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Gregorio XV. prædecessori nostro parte tunc existentium Præpositi, & Clericorum Congregationis Doctrinæ Christianæ in Ecclesia S. Agathæ Transtiberim de Urbe institutæ exposito, quod Clerici ejusdem Congregationis elapso novitiatus anno, votum cum iuramento in eadem Congregatione perpetuo manendi libera, & spontanea voluntate emittebant, nonnulli vero super voto, & iuramento præfatis, invita etiam Congregatione huiusmodi dispensare, & illa commutare licitum putabant, & de facto in ejusdem Congregationis præjudicium dispensabant, & commutabant. Idem Gregorius prædecessor supplicationibus eorundem Præpositi, & Clericorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, inter cætera auctoritate Apostolica decrevit, & ordinavit, quod de cætero cum Clericis ejusdem Congregationis super voto, & iuramento prædictis, nisi per ipsum Gregorium prædecessorem, aut Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut votum, & iuramentum huiusmodi commutari nullatenus possent, nec non facultatem desuper dispensandi, seu eadem vota commutandi sibi, & Romano Pontifici pro tempore existenti reservavit, & alias, prout in ejusdem Gregorii prædecessoris literis desuper in simili forma Brevis die 12. Novembris 1621. expeditis, quarum tenorem, præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur.

Preces Præpositi, & Sociorum.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii moderni Præpositus, & Presbyteri seniores prædictæ Congregationis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi quo dictæ Congregationis statui, & utilitati per amplius consultum sit, præfatas Gregorii prædecessoris literas Apostolicæ confirmationis Nostræ parrocinio communiri, ac alias opportune in præmissis a Nobis provideri, & ut infra indulgeri summopere desiderent: Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, & attentis voto, & relatione dilecti filii nostri Petri Matthæi ejusdem S. R. E. Cardinalis Petruccii nuncupati, ad quem Congregatio dictorum Cardinalium negotium huiusmodi examinandum remiserat, desuper factis, Decretum, & Ordinationem, ac reservationem huiusmodi, expeditaque desuper Gregorii prædecessoris literas suprascriptas auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adiungimus. Præterea cum Clericis, & Presbyteris dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ, postquam votum, & iuramentum prædictum emisserint, nisi forte ab ipsa Congregatione juxta illius Constitutionum dispositionem dimissi fuerint, nec per officium Pœnitentiariæ Apostolicæ, nec ab alia quacumque persona sub cujusvis Privilegii, seu Indulti prætextu, sed solum per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in casibus a Jure permisis, nempe primo in eventum quo, vel ex parte ipsorum, vel

Confirmatio Constitutionis Gregorii XV.

Declaratio casuum, in quibus dispensatio locum habeat.

ex parte ejusdem Congregationis Doctrinæ Christianæ tanta, & tam notabilis mutatio contingeret, ut alia res ab ea, quæ per eos promissa fuit, moraliter diversa merito censenda esset: Secundo si aliquis ex eisdem Clericis, seu Presbyteris post emisum dictum votum ad aliquam Religionem ab hac Sancta Sede approbatam transire vellet: Tertio demum, quando filius familias votum huiusmodi inficio Patre emisisset, nisi tamen tacitus illius consensus adesset, dispensari posse, aliterque etiam a Sede prædicta, sine expressa voti, & iuramenti prædictorum mentione, obtentas dispensationes nullas, & subreptitias fore, auctoritate, & tenore prædictis, decernimus, & declaramus. Porro Clericis ejusdem Congregationis Doctrinæ Christianæ, ut postquam votum prædictum emisserint, ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, si alias ad id idonei reperiantur, neculum Canonicum eis obstat impedimentum ad titulum ipsius Congregationis, ut moris esse asseritur, dummodo tamen Ordinario loci constet dictam Congregationem victum, & vestitum eorum cuilibet, pro rata quadraginta saltem scutorum monetæ ex tot bonis stabilibus, certis, & fructiferis, vel locis montium Camera Apostolicæ non vacabilem annuatim subministrare posse, servatis alias servandis, promovendi, & promoti in Ordinibus huiusmodi, etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant, eadem auctoritate harum serie concedimus, & indulgemus, firmo tamen remanente quodam Decreto alias nempe die 13. Januarii 1673. a Congregatione tunc existentium dictæ S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curie Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum dictæ Urbis auctoritate Apostolica instituta deputatorum edito, quo mandatum fuisse dicitur, ut in eadem Congregatione Doctrinæ Christianæ admitti si eos quamvis licite, inde exire, seu demitti contingeret, ab exercitio Ordinum ad illius titulum susceptorum, quamdiu prævia eorum Ordinarii recognitione, & approbatione, tantum in redditibus habeant quantum ad congruam ipsorum substitutionem sufficiat, suspensi remaneant, ac Juribus insuper eis agendi contra ipsam Congregationem, quatenus in eorum erectione, seu dimissione forma ab illius Constitutionibus Capite Octavo secundæ eorum partis præscripta, servata non fuisset, & alias prout de jure, reservatis.

Indultum suscipiendi Ordines ad titulum Congregationis.

Decretum Congr. Visitationis de Ordinatis in Congregatione discedentibus.

Clausula.

§. 3. Decernentes ipsas præsentis Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectively inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dictæ Congregationis Doctrinæ Christianæ, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsen-

tium

tium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsi præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXIII. Junii MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno Octavo.

CXXI.

Transfertur Valetudinarium Pauperum Sacerdotum de Urbe ad Palatium in Civitate Leonina cum erectione Collegii, seu Seminarii Ecclesiastici pro Presbyteris, & Clericis.

De hoc Valetudinario vide Clem. X. Const. ed. 1674. Jul. 13. Hujus Pontificis Constitut. edita 1693. Maji 22. P. 2. erectum fuit Hospitium invalidorum Et Const. ed. 1700. Maji 20. P. 9. erigitur Congregatio Hospitalis Pauperum Infirmorum in Indiis Occident.

Dat. 28. Junii
1699. An. 8.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ecclésiæ Catholice per Universum Terrarum Orbem diffusæ regimini meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam prædentes, ad ea per quæ salubri Christianis in sortem Domini assumptorum institutioni, felicique directioni ubique locorum, potissimum vero in Alma Urbe nostra veræ Religionis arce, ex qua bonorum operum exempla in omnes Christiani Orbis partes assidue promanant, quamque propterea præ cæteris ordinatissimam esse decet, opportunis rationibus consulitur, propensis studiis jugiter intendimus, & ut piæ testantium voluntates præsertim ad pauperum Presbyterorum Infirmorum subventionem, & utilitatem ordinatæ commodius, ac consultius impleantur, concessæ Nobis a Domino potestatis partes libenter interponimus, sicut ad Dei Omnipotentis gloriam, pauperum operum incrementum, & Animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Epilogus
Constitut.
Clem. X. in
qua descri-
buntur ortus
& progressus
d. Valetudi-
narii.

§. 1. Alias siquidem fel. rec. Clementi PP. X. prædecessori nostro pro parte tunc existentium Deputatorum, seu Administratorum Valetudinarii, seu Hospitalis pauperum Sacerdotum Sæcularium de Urbe exposito, quod cum dudum quondam Joannes Antonius Vestrius Romanus Valetudinarium, seu Hospitale hujusmodi ad curandos pauperes Sacerdotes Infirmos in propria Domo ad Cloacam Sanctæ Lucie nuncupata in Regione Pontis S. Angeli dictæ Urbis posita, ubi tunc reperiebatur, ac de præsentibus etiam reperitur erexisset, & constituisset, illudque suum ex asse hæredem instituisset, necnon curæ, & gubernatio Decani Canonicorum Basilicæ Principis Apostolorum de eadem Urbe pro tempore existentis, ac duorum Presbyterorum a Congregatione centum Sacerdotum, & viginti Clericorum in Ecclesia ejusdem S. Angeli in Civitate Leonina, sive Burgo Urbis hujusmodi canonice, ut asserbatur erecta deputandorum, & annis singulis mutandorum commississet, Executores Testamenti ejusdem Joannis Auctoris fundationem Hospitalis hujusmodi a bo. mem. Ascanio Rinaldo tunc existentis in Urbe prædicta Vicarii in spiritualibus Generalis Vicesgerente approbari, eique sic erecto privilegia, immunitates, & exemptiones, quæ aliis Hospitalibus de jure competunt concedi obtinuerant, cum facultate ibidem Altare, seu Capellam ad effectum celebrandi, Campanas retinendi, Sepulturam ædificandi, ac omnia alia faciendi juxta men-

tem, & piam dispositionem dicti Joannis Testatoris, & alias prout in prædicti Ascanii Vicesgerentis decreto desuper emanato uberius dicebatur contineri. Idem Clemens prædecessor supplicationibus dictorum Deputatorum, seu Administratorum nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, Decretum prædictum toto illius tenore inserto, auctoritate Apostolica confirmavit, & approbavit, & alias prout in ipsius Clementis prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 13. Julii 1674. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Causæ Trans-
lationis.

§. 2. Cum autem sicut accepimus, tameris Valetudinarium prædictum in memorata Testatoris Domo, ut præfertur erectum, & constitutum omnibus Pauperibus Sacerdotibus Infirmis in eo excipi volentium semper hæcenus patuerit, & pateat de præsentibus, nihilominus ipsius Valetudinarii redditus, tam ob exiguum eorundem Sacerdotum, ad illud confluentium numerum, quam ob sedulam ac fidelem curam, qua redditus hujusmodi hucusque administrati fuerint notabiliter creverint, iique insuper quorundam piorum legatorum ac novissime hæreditatis quondam Francisci Biancardi, quæ Valetudinario hujusmodi obvenit, accessione adeo amplificari fuerint, ut usibus, in quos juxta memoratorum Testatorum, aliorumve piorum largitorum voluntatem convertendi essent, superabundare dignoscantur. Hinc est, quod Nos pastoralis Officii nostri debito summo congruentem rem facturi nobis videmur. Si Valetudinarium prædictum ex angusta, nec satis nota Domo, in qua de præsentibus, sicut præmittitur, reperitur, ad ampliore, & commodiore locum, nempe ad Palatium in Civitate Leonina, seu Burgo hujusmodi situm, quod nuper hoc consilio a dilecto filio nobili Viro Philippo Columna Magno Regni Neapolis Comestabili emendum duximus, transferamus, ipsiusque Valetudinarii redditus, quod expensas pro corporalibus dictorum Sacerdotum infirmitatibus curandis faciendas excedere compertum fuerit, inutili eorum multiplico sublato ad spirituales ipsorum Sacerdotum, aliorumque Ecclesiasticorum vitorum utilitatem fructuosius applicemus.

Translatio
d. a Regione
Pontis S. An-
geli motu
proprio fa-
cta.

§. 3. Itaque dictorum Joannis Antonii, & Francisci, aliorumque Testatorum, & piorum largitorum quorumlibet Testamentorum, & aliarum etiam ultimarum voluntatum, ac dispositionum quarumcumque tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuum mentionem, seu expressionem requirentia præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratum Valetudinarium in prædicta Domo erectum, & institutum, cum omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, & exemptionibus ei, ut præfertur, concessis, & competentibus a Domo hujusmodi ad Palatium prædictum per Nos, sicut præmittitur emptum, tenore præsentium perpetuo transferimus, & transportamus.

Erectio Se-
minarii Ec-
clesiastici in
eodem Pala-
tio.

§. 4. Caterum in eodem Palatio Collegium, seu Seminarium Ecclesiasticum, quo procul a Sæcularibus negotiis, juxta Regulas jussu nostro præscribendas, Presbyteri, alique Clerici, qui vocationis, qua vocati sunt, memores, ac Dominum in hæreditatem sortiri, id re ipsa esse, quod dicuntur, sedulo studere voluerint, benigne excipi, atque inibi, quo cæteris fidelibus tum doctrinæ lumine, tum bonorum operum exemplo præluere possint, disciplinis eorum statui conformibus instrui, ac exerceri debeant. Motu, scientia, deliberatione, & potestatis ple-

nitudine

Assignatur
Dos ex red-
ditibus ipsius
Valetudina-
rii & bonis
forſan ipſi re-
linquendis.

nitudine ſimilibus, harum ſerie perpetuo erigi-
mus, & inſtituimus; Ipſique Collegio ſic erecto,
& inſtituto pro illius dote, ejuſque Officialium,
ac Miniſtrorum, ceterarumque perſonarum ei
pro tempore inſervientium ſuſtentatione, &
ſtipendio, necnon aliis illius uſibus, & neceſſi-
tatibus (ſalva tamen ſemper in omnibus, & per
omnia memorati Valetudinarii, ſicut præmitti-
tur translati manutentione) omnia, & ſingula
ipſius Valetudinarii, & alia quæcumque bona,
proprietas, Canones, cenſus, fructus, red-
ditus, & proventus, pecunias, res, actiones, &
jura, tam per nos, vel Succeſſores Noſtros
Romanos Pontifices, quam per alias quaſlibet
perſonas in futurum quomodocumque, & quo-
modocumque eidem Collegio, etiam per mo-
dum eleemoſynæ donanda, assignanda, unien-
da; offerenda, concedenda, & relinquenda,
ita ut liceat pro tempore exiſtentibus Collegii,
& Valetudinarii huiusmodi adminiſtratoribus no-
mine ejuſdem Collegii per ſe, vel alios per
eos pro eorum arbitrio depurandos, & amoven-
dos, illorum omnium, & ſingulorum, veram,
realem, corporalem, & actualem poſſeſſionem
ſeu quaſi poſſeſſionem abſque ſpolii, vel atten-
tatorum vitio, & ſine cujuſcumque Judicis De-
creto, & Miniſterio libere apprehendere, & ap-
prehenſam perpetuo retinere, illaque locare,
diſlocare, regere, adminiſtrare, ac illorum
fructus, redditus, & proventus, jura, obven-
tiones, & emolumenta quæcumque percipere,
exigere, & levare, ac in prædicti Collegii, &
non in alios uſus, & neceſſitates (omnibus ta-
men prius erga Pauperes Sacerdotes inſirmos
juxta prædicti Valetudinarii Inſtitutum Chri-
ſtianæ charitatis officiis expletis, cæteriſque il-
lius oneribus plane ſupportatis) convertere,
& erogare, noſtra, & pro tempore exiſtentis
Romani Pontificis Diaceſani loci, dictæ Urbis
Vicarii, vel cujuſvis alterius licentia deſuper
minime requiſita, motu, ſcientia, deliberatio-
ne, & poteſtatis plenitudine, ac tenore præ-
dictis itidem perpetuo ex nunc prout ex tunc
poſtquam donata, assignata, unita, oblata,
conceſſa, & relicta fuerint, & e contra, appli-
camus, assignamus, concedimus, appropriamus,
& incorporamus.

Inſtituitur
Congregatio
ſuper regimi-
ne Collegii,
& Valetudi-
narii.

§. 5. Porro ſuper regimine, & adminiſtra-
tione Collegii ſupradicti Congregationis unius,
ſeu plurium ex Ven. Fratribus noſtris S. R. Eccl.
Cardinalibus, ac nonnullorum dilectorum Fi-
liorum Romanæ Curie Prælatorum, aliorum-
que Eccleſiaſticorum Virorum, doctrina, pie-
tate, prudentia, & rerum uſu præſtantium a
nobis deputatorum, ac in futurum tam a no-
bis, quam a Succeſſoribus noſtris Romanis Pon-
tificibus deputandorum, inter quos etiam eſſe
volumus dilectum filium modernum, & pro
tempore exiſtentem Decanum Canonicorum
dictæ Baſilicæ juxta prædicti Joannis Antonii
Teſtatoris diſpoſitionem qualificatam, motu,
ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudi-
ne paribus, earumdem tenore præſentium ſi-
militer perpetuo præponimus, & conſtituimus,
in ipſamque Congregationem ſic præpoſitam,
& conſtitutam, etiam prædicti Valetudinarii re-
gimen, & adminiſtrationem, illis a quibuſvis
aliis perſonis penitus, & omnino abdicatis, per-
petuo itidem transferimus, & transportamus,
ac translata, & transportata eſſe decernimus,
& declaramus.

Clauſula.

§. 6. Decernentes pariter eaſdem præſentes
litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex
eo, quod in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu
habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſta-
tus, gradus, ordinis, præminentie, & digni-
tatis exiſtant, aliive quilibet, etiam ſpeciali, &
individua mentione digni, illis non conſenſerint,
nec ad ea vocati, citati, auditi, neque cauſæ

propter quas præſentes emanarint, ſufficienter
adductæ, verificate, & juſtificate fuerint, aut
ex alia quacumque etiam quantumvis juridica,
pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu,
& capite, etiam in corpore Juris clauſo, etiam
enormis, enormiſſime, & totalis læſionis nullo
unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis,
aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ,
aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quo-
libet, etiam quantumvis magno, ac formali,
& ſubſtantiali, individuumque expreſſionem re-
quirente defectu notari, impugnari, infringi,
modificari, retractari, in controverſiam
vocari, ſeu ad terminos Juris reduci, aut adver-
ſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in inte-
gram, aliudve quodcumque Juris, facti, vel
gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu
impetrato, aut etiam motu, ſcientia, & pote-
ſtatis plenitudine ſimilibus conceſſo, vel emanato
quempiam in Judicio, vel extra illud uti,
ſeu ſe juvare poſſe: ſed ipſas præſentes litteras
ſemper, & perpetuo firmas, validas, & efficaciſ-
ſime exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros
effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos
ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus,
& per omnia pleniffime, & perpetuo ſuffragari;
& ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe
obſervari: Sicque, & non aliter in præmiſſis
per quocumque Judices Ordinarios, & Dele-
gatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolicæ Au-
ditores, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccl. Car-
dinales, etiam de Latere Legatos, & alios
quolibet quacumque præminentia, & poteſtate
fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum
cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi
facultate, & auctoritate judicari, & definiri de-
bere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a
quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel igno-
ranter contigerit attentari.

§. 7. Non obſtantibus memoratorum Joan-
nis Antonii, & Franciſci, aliorumque Teſta-
torum, & piorum largitorum, etiam ultimis
voluntatibus, quas quo ad præmiſſa ſufficienter,
& expreſſe commutamus, aliſque omnibus, &
ſingulis præmiſſis ac de Jure quaſito non tol-
lendo, cæteriſque Noſtris, & Cancellariæ Apo-
ſtolicæ regulis, aliſque Apoſtolicis, & in Uni-
verſalibus, Provincialibusque Conciliis editis,
generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus,
& Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus
opus ſit prædicti Valetudinarii, ſeu Hoſpitalis,
aliſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione
Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis
Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemo-
rabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Lite-
ris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus,
& formis, cum quibuſvis etiam derogatoriis
derogatoriis, aliſque efficaciſſimis, ac inſolitatis
Clauſulis, & Decretis in genere, vel in ſpecie,
vel alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum
conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,
& ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti deroga-
tione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis,
ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad
verbum non autem per Clauſulas generales idem
importantes mentio, ſeu quavis alia expreſſio
habenda, aut alia exquisita forma ad hoc ſervan-
da foret, tenores huiusmodi, præſentibus pro
plene, & ſufficienter expreſſis, ac inſertis ha-
bentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad
præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpe-
cialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum
eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcum-
que.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem præ-
ſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis,
etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici
ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica

dignitate

dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsi presentibus haberetur si forent exhibitæ, vel ostensa.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XXVIII. Jun. MDCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

CXXII.

Confirmantur quamplurima Decreta Collegii Cantorum Capellæ Pontificiæ.

Extant quædam Ordinationes pro tutori Custodia Librorum Alex. VIII. Cons. ed. 1690. Nov. 14. P. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dat. 16. Julii
1699. An. 9.

A Sixto V. concessa fuit d. Collegio facultas condendi Decreta.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii moderati Magister, & Punctator Collegii Cantorum Capellæ Nostre Pontificiæ, quod dudum fel. rec. Sixtus Papa V. Prædecessor noster per quosdam suas sub plumbo expeditas Literas inter alia dicto Collegio pro felici statu, regimine, & gubernio ipsius Collegii, illiusque personarum, rerum, & bonorum, tam spiritualium, quam temporalium, necnon super electionibus, qualitatibus, oneribus, servitiis, & ministeriis Magistris Capellæ, aliorumque Officialium, & Ministrorum pro tempore existentium ejusdem Collegii, quæcumque Statuta, Ordinationes, & Decreta Sac. Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis non contraria condendi, & condita, quoties pro illorum, ac rerum, & temporum qualitate, vel alias expediens visum fuisset, mutandi, corrigendi, reformandi, alterandi, moderandi, in toto, vel in parte revocandi, ac alia de novo edendi, eaque omnia, dummodo Apostolica, vel saltem Collegii hujusmodi Protectoris pro tempore existentis auctoritate approbata fuissent, ab omnibus, ad quos tunc spectabat, & pro tempore spectasset, sub pœnis pecuniariis arbitrio ejusdem Collegii infirmandis, & illi applicandis, observari faciendi facultatem concessit, & clariguit fuit, & alias, prout in præfatis Sixti Prædecessoris Literis, quarum tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expresso uberius continetur. Quocirca dictum Collegium vigore facultatis hujusmodi plura Decreta, quæ tamen, quia prædicta Apostolica, vel dicti Protectoris auctoritate approbata minime fuerant, suos plenarios, & integros effectus nunquam obtinuerunt, variis temporibus edidit, mutavit, correxerit, ac respective reformavit. Novissime vero ejusdem Collegii iusti nonnulla ex Decretis supradictis magis necessaria, & oportuna ex authenticis illorum Libris, & Registris excerpta, illisque alia sexdecim Decreta, seu capita novarum Regularum Punctatoris Officium concernentia de novo adjuncta fuerunt, quæ in unum collecta, & a dilecto filio nostro Francisco S. R. E. Cardinale Madaichino nuncupato moderno prædicti Collegii Protectore quibusdam sublati, & respective additis, revisa, & approbata, & tam ab ipso Cardinale, & Protectore, quam ab ejusdem Collegii Cantoribus, qui se se ad eorum observantiam Juramento adstrinxerunt, subscripta sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.

S C E L T A

De Decreti degni di maggior osservanza per il regolamento del Collegio de Cantori della Cappella Pontificia.

Avendo Noi Benedetto Ceccarelli Maestro di Cappella, Giuseppe Vecchi, Giovan. Battista

Giannelli Camerlengo, Raffaele Raffaelli, Giuseppe Ceccarelli, Andrea Adami Puntatore d'ordine del Collegio de' Sig. Cantori della Cappella Pontificia, scelti, ed uniti i Decreti di esso degni di maggior osservanza, con aggiungervi alcuni nuovi regolamenti per il Puntatore, in virtù della Bolla della S. M. di Sisto V., che dà ad esso Collegio facoltà di mutare, aggiungere, e diminuire in tutto, o in parte, i medesimi Decreti, e farne altri di nuovo, e dal detto Collegio a noi compartita; Ora che ne veniamo alla pubblicazione del presente Libro, si ordina a ciascheduno in nome di tutto il Collegio, che a noi concede tal autorità, l'osservanza de i sopraccennati Decreti sotto le pene in essi stabilite.

Die 18. Januarii 1567.

Franciscus de Montalvo Censor.
Eodem die fuit Congregatio post prandium, & omnes de cæterò decreverunt, quod Punctator debeat punctare omnes non cantantes, & garrulantes, & non interefferunt in suo loco, & deambulantes durante officio, dummodo cantatur.

Die 7. Februarii 1569.

Joannes Aloysius de Episcopis Censor.
Item congregatis DD. Cantoribus in Capella Paulina, fuit resolutum denuo, ut Abbas pro tempore existens, debeat dividere inter Cantores participantes, non solum partem venientem pro unoquoque de Regalibus, tam in Missis, quam de aliis, sed etiam de agio, ut vulgariter dicitur, quando dictus Abbas recipit ipsa Regalia in auro, & quia D. Joannes Antonius Merolus, cum fuisset Abbas per tres annos proximos elapsos, fuit ista die, & anno, ut supra, condemnatus a dictis DD. Cantoribus, ut solveret quidquid de ipso agio veniebat, & ita distribuit pro quolibet Cantore, quod veniebat.

Die 6. Februar. 1583.

R. D. Vincentius de Musatis Censor.
Deinde decretum fuit etiam, quod duos constituere debeant in novo officio pro infirmis visitandis, qui per unum annum integrum visitent infirmos, Infirmary nuncupati, & sic semper quotannis, duos eligere debeant, hilariter vultu, omnes consenserunt.

Die 6. Jul. 1584.

R. D. Hippolytus Gambocius Censor.
Post Sacrum, Congregatio Cantorum decrevit, ut nullus nostri Collegii in quadam Sodalitate Musicorum noviter erecta multis dignis de causis adscribatur.

Die 7. Septembris 1584.

R. D. Boccapadulus Magister Capellæ.
R. D. Hippolytus Gambocius Censor.
Cum diebus elapsis in nostra Congregatione propositum esset, conveniens necne esset, ut in nova quadam Musicorum Societate adscriberemur; re bene considerata, & cognita, judicavimus id non fieri, neque convenire, neque salvis nostræ Capellæ Decretis licere, fuit Decretum ne quis nostrum ullo modo id attentaret, aut se in illam Sodalitatem adscribi pateretur. Jam vero cum ad nostras aures pervenerit nonnullos e nostro Collegio, nulla nostrorum ordinum, vel decretorum habita ratione, in illam Sodalitatem adscriptos esse, nos, ut in tum presenti, tum futuro malo mederemur, voluimus, ut hodie, qui septimus est Septembris 1584., denuo in Congregatione nostra res ipsa in medium afferretur, ut accuratius considerata, unusquisque, quæ sui animi sententia foret libere proferret. Itaque cum de more

I.
De Punctatore, vide 7. & punctandis, vide 5.

II.
De Abbate, & emolumentis, vide infr. 7.

III.
De Infirmary, & Infirmary, vide 35.

IV.
De quadam Societate Musicorum. Vide 5.

V.
Vide 4. 19.

solito